



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

8111

DE NUMERO SATURNIO QUAESTIONES.

SCRIPSIT

Carl Magnus
C. M. ZANDER.



LUNDÆ MDCCCXCV.
TYPIS EXPRESSIT E. MALMSTRÖM.

CAPUT I.

De numero syllabarum et membrorum [1]).

Saturnius versus saepius est bimembris. hemistichia dividuntur dihaeresi, ut ultima syllaba coli sit anceps et dihaeresis locum praebeat hiatui. numeri saturnii est ea natura, ut syllabae illae ancipites habeantur longae.

Nec vero desunt monocoli versus. cuius quidem generis multo plures exstant versus quam vulgo suspicantur. Andronicus quidem, si modo ex reliquiis exiguis iisque saepe corruptis conceditur facere coniecturam, interdum voluit inserere Saturniis bimembribus breviores. nam quod est in Servii aucto commentario ad Verg. Aen. I. 92 ex Odyssea latina *igitur demum Ulixi* || *cor frixit prae pavore,* hoc in duos versus monocolos accommodate dividitur, in unum bimembrem coniunguntur minus bene, quia nec *igitur demum Ulixi* nec *cor frixit prae pavore* posterius hemistichium esse apud poetam artis peritum potuit. nam quod in lammina illa coquorum Faliscorum versus 92 et 93 et 95 habent hemistichia priora posteriore in parte versus locata in eodemque carmine versus 92 et 93 posteriora in priore: illa omnia perturbata sunt atque concocta ab homine rudi et imperito. iam in extremo elogio Scipionis adolescentis v. 25 b *quei minus sit* ⟨*mand*⟩*atus* et 24 b *is* ⟨*Dit*⟩*eist mandatus* — si modo vere ita lego, de qua re vide id quod adnotavi ad eum versum — non potuerunt ab eleganti quidem poeta in posteriore parte saturnii locari; relinquitur ergo ut habeantur monocoli. ita elogium illud — cuius verba in lapide non ad metrum sed ad spatium et speciem dividuntur — octo erit versuum, quattuor bimembrium totidemque breviorum. nam quod priora tria elogia Scipionum olim fuerunt omnia senum versuum, eo non cogimur hoc elogium dividere in totidem versus. neque enim certus numerus versuum elogiis lege aut more praescriptus est et epigramma Naevii concluditur versibus brevioribus (82 a et b) eiusdem generis: *obliti sunt Romae* || *loquier lingua latina.* verba enim illa *loquier lingua latina* ea sunt quibus aut versus monocolos aut prius hemistichium saturnii possit contineri, posterius non possit. denique titulus Mummii totus (vv. 83—91) constat ex versibus

[1]) **Exempla collecta concludunt hanc disputationem** continenturque capp. VI et VII.

monocolis iisque ita comparatis ut et nullo discrimine aut ordine misceantur cola ea quae versuum bimembrium solent esse posteriora cum iis quae priora, et magis cohaereant bini sententia versus.

Syllabas septem prius, sex posterius hemistichium habet plerumque. sed huius quoque rei aliqua varietas est. habent enim priora hemistichia aliquot sex syllabas, posteriora non pauca quinque. quin etiam sunt hemistichia specie quidem quinum syllabarum, sed quae natura rhythmi et aurium mensura aequent quadrisyllabum: v. 2 et 6, de quibus cf. cap. IV extr.

Nam nihil attinet docere — quod qui quantitatibus quique accentibus scandunt saturnios consentiunt — soluta longitudine binas breves esse pro singulis longis. itaque v. 12 *sŭbĭgit omne Loucanam* ex eodem genere est quo v. 11 *Taurasia Cisauna* et cetera cola septem syllabarum; in sex autem syllabarum colis si non numero syllabarum at spatio suum locum obtinet v. 8 *fortis vir sapiensque,* quod aequale est illi membro versus 7:i *Scipio Barbatus.*

CAPUT II.

De caesura hemistichii.

Camenae igitur Latinae membratim loquebantur. ac simul eaedem incise. medium enim hemistichium utrumque solet dividi [1]).

Sed ex iis colis quae cadunt in iambum nonnulla hac caesura carent. mitto carmen illud tam horridum coquorum Faliscorum. ubi ipsa maior caesura, qua dividi solet in hemistichia versus, neglegitur v. 96 *ququei huc dederunt inperatoribus summeis.* sed in ceteris reliquiis numeri saturnii quamquam longe plura huius generis hemistichia inciduntur sic:

1.	*Honc oino*	*ploirume*	2.	*duonorō*	*optumo*
7.	*Cornelius*	*Lucĭus*	5.	*hec cepit*	*Corsica*
32.	*donu danunt*	*Hercŏlei*	47.	*Mercurius*	*cumque ĕo*
40.	*neque tamen te ob-*	*-litŭs sum*	62 b.	*Troiam urbem*	*liquerit*
91.	*imperator*	*dedicat*	64.	*sin illos*	*deserant*
88.	*quod in bello*	*voverat*	157.	*Uno(m) com-*	*-plurimae*
51.	*immolabat*	*auream*	[131.	*e Troia*	*strenue*].

ut posterius comma sit trisyllabum et par cretico [2]);

tamen carent incisione illa v. 6 *dedet Tempestatebus:* 20 *Magna sapientia;* 64 *fortissimos viros.* quae excusationem habent vocis quinque quattuorve syllabarum.

At in iis colis quae spondeo (trochaeove) finiuntur, multo constantius servatur incisio.

Atque cola septem syllabarum dividuntur in quadrisyllabum et trisyllabum:

[1]) Primus hoc animadvertit KORSCH de versu Saturnio p. 40.

SKUTSCH Berliner Phil. W. a. 1894 N:o 5 videtur velle priora hemistichia dividi ternis locis: *ubi* | *foras* | *cùm auro.* sed etsi ita dividi possunt multa, tamen illa neque est communis lex neque ad universum genus pertinet.

[2]) V. 40. *Neque tamen te ob* | *litus sum* et 157. *Uno(m) com* | *plurimae* inciduntur in confinio praepositionis verbique; ut Horatius: *cum flagrantia de* | *torquet ad oscula,* et Plautus: *Is adórnat adveniens domi ex* | *templo út maritus fiat.* V. LUC. MUELLER de re metrica poetar. latin. [2] p. 199 et 460 sqq.

consol censor	*aidilis*
Taurasia	*Cisauna*
Ductu auspicio im	*perioque* [1])
ne quairatis	*honore.*

H e x a s y l l a b a partim dividuntur in trisyllaba partim in quadrisyllabum et disyllabum.

In trisyllaba:

aetate	*quom-parva*	*posidet*	*hoc-saxsum*

In quadrisyllabum et disyllabum:

tibe utier	*vita*	*restitistei*	*seedes.*

Sunt qui existiment quaecunque sex syllabarum cola a trochaeo non incipiant dividi debere in quadrisyllabum et disyllabum, non in trisyllaba, scandique sic: *aetáte quóm* | *párva.* sed inepta sane scansione ista nimis ponderis additur praepositioni, cum non modo ictu percutiatur sed etiam distendatur syncopa. quod si quis tam hebeti sit aurium sensu ut talem probet scansionem, tamen nihil ea re agat. sunt enim hemistichia hexasyllaba, praeter ea quorum prior pars facit creticum, etiam alia quae istius modi scansionem nullo pacto patiantur:

44 a.	*ĭgĭtur dem(um)*	*Ŭlixi*	47 b.	*part(im) errant*	*nĕquĕunt*
49.	*topper cĭtĭ*	*ăd aedis*	54.	*flentes amb(ae)*	*ăbĕuntes* [2])
67.	*sesequ(e) i*	*pĕrire*	98 b.	*Salus hic*	*măneto*
102.	*triumpe*	*trĭumpe*	117.	*atqu(e) escas*	*hăbemus*
			137.	*silvĭcŏlăē*	**hŏmones.*

Quoniam igitur antepaenultima in his omnibus corripitur, producitur paenultima, nec possunt dividi ita nec scandi ita ut illud *tibe utiēr* | *vita.* relinquitur ut concedamus dividi haec cola, ut dividuntur, in partes trisyllabas. et posteriore commate aequalia esse haec atque illa *ne quairatis* | *hŏnore, quei fuit* | *ăpŭd vos.* quodsi ita est sequitur agnoscendam eandem divisionem horum: v. 100 *Semunis* | *alternei,* 20 *multasque* | *virtutes,* 21 *aetate* | *quom-parva,* 24 b *is D⟨it⟩eis⟨t⟩* | *mandatus,* 59 *inerant signa* | *expressa,* 85 *Corinto* | *deleto,* 25 b *quei minus sit* | *⟨mand⟩atus.*

Iam in v. 44 a *ĭgĭtur dem(um)* | *Ulixi,* 49 *topper cĭtĭ* | *ad aedis,* 59 *ĭnĕrant sign(a)* | *expressa,* 25 b *quei mĭnŭs sit* | *⟨mand⟩atus,* cum longitudo in duas breves solvatur, prius comma spatio trisyllabum aequat. ergo haec ipsa quoque universo hexasyllaborum genere continentur. — *topper cĭtĭ* | *ad aedis* hiat illud quidem sed hiatu legitimo. de quo v. Klotz altröm. Metrik p. 126 sqq. et Lindsay Lat. Lang. cap. 3. § 41.

[1]) V. 83 *Ductu auspicio im* | *perioque* inciditur in confinio partium compositarum: v. adn. 2) p. 3. — Caret caesura illud v. 3 *Luciom Scipione;* quod ita excusatur nomine proprio et polysyllabo ut v. 63 *Proser.pină-pŭer,* cuius posterior pars habet longitudinem solutam.

[2]) Proposita optione malo huic loco adhibere synaloepham quam excludere.

Pentasyllaba partim dividuntur in disyllabum et trisyllabum partim in trisyllabum et disyllabum.

In disyllabum et trisyllabum (vel solutione quadrisyllabum):

v. 30. *vot(o) hoc* | *soluto* 89. *hanc aed(em)* | *et signu.*

In trisyllabum et disyllabum (vel solutione trisyllabum):

v. 11. *Samnio* | *cepit* 18. *Scipio* | *rĕcĭpit.*

Quoniam necesse est — si modo dividi oportet — sic ut feci, dividere et 30 *voto hoc* | *sŏluto* et 60 *magni atque* | *Ătlantes* et 137 *bellique* | *ĭnertes:* consentaneum est eandem agnoscere divisionem in reliquis quae eius generis esse videantur. proinde dividamus v. 89 non sic: *hánc aedem ét* | *signu* (quod vix ferendum gravari *aedem* vocem acutam, illud autem *et* intendi ac distendi), sed sic: *hànc áedem* | *et signu.* item 74 *stabant* | *in-flustris* et 26 *Maarco* | *Caicilio* et cetera huius generis.

Nimirum v. 18 *rĕcĭpit* soluta arsi par est spondeo, v. 26 *Caicĭlĭo* molosso. ergo quia *rĕcĭpit* spatio aequale est disyllabo, *Caicĭlĭo* trisyllabo, utrumque illud hemistichium *Scipio recipit* et *Marco Caicilio* eius est generis quod communi nomine comprehendimus pentasyllaborum.

Postremo illud non praetermittendum est quod sunt hemistichia quae elisionem habeant in ipsa caesura: 48 *nexebant mult(a)* | *interse;* 12 *opsidesqu(e)* | *abdoucsit;* 15 *gloria atqu(e)* | *ingenium;* 44 *igitur dem(um)* | *Ulixi;* 54 *flentes amb(ae)* | *abeuntes;* 5 *Ălĕrĭa(m)qu(e)* | *urbe;* 89 *hanc aed(em)* | *et signu.* quod fit more prisco. ut Plautus Amph. 474 *Quae fácta. denique* | *Alcumenam Iúppiter* et Lucilius 233 *B cum poclo bibo eodem* | *amplector, labra labellis Ficta calens compono.* cui rei simile est quod Plautus elisionem admittit in intercapedines diverbii. sed fuerunt inter ipsos posteriores poetas qui hanc licentiam caesurae admitterent. ut Horatius Sat. I 3. 20 *nullane habes vitia?* | *Immo* | *alia et fortasse minora.* et Vergilius Georg. I 257 *nec frustra signorum* | *obitus speculamur et ortus,* cuius versus caesuram esse semiquinariam adsentior Kleineckio de Penthemimere p. 51.

CAPUT III.

De colis heptasyllabis.

Esse cola heptasyllaba, hexasyllaba, pentasyllaba, quadrisyllaba; quae omnia fere — praeter quadrisyllaba — incidi media demonstratum est.

Nunc vero singillatim, quo modo structa sint syllabis quoque modo numeris modificata videamus.

Ac primum heptasyllaba veniant in examen.

Quod genus universum complectitur etiam illa quae soluta longitudine habent syllabas octonas novenasve. quia enim binae illae solutae syllabae singulis productis spatio pares sunt, in septenariam mensuram aestimatione aurium facile rediguntur. velut *Ductu auspicio imperioque* eiusdem generis est ac *nexebant multa interse.*

Quod autem malum eventum habuerunt conamina et eorum qui de numero saturnio disputantes accentus ita secuti sunt ut neglegerent quantitates et qui ita quantitates ut neglegerent accentus — in quo numero ego quoque quondam fui —: nunc rationem habebimus et accentuum et quantitatum.

Sed ad rem transeamus.

Heptasyllaba igitur partim cadunt in iambum partim in spondeum (trochaeumve).

I. Quae in iambum, eorum tria sunt genera, si rationem hábeas, ut dixi, et accentuum et quantitatum.

Unum genus ⏑́ ⏓ ̀ ⏓ | –́ ◡ *nèque-tamèn te ob* | *litŭs sum* [1]) et –̀ ⏓ –́ ⏓ *ìmperàtor* | *dèdicat* et –̀ ⏓ –́ ⏓ | –́ ◡ – *qùquei hŭc dedèrunt* | *ìnpera-*.

Alterum genus ⏓ –́ ⏓ –̀ | –́ ◡ – *Cornèliùs* | *Lùcius.*

Tertium genus est numero infracto: ⏓́ –̀ ⏓ | –́ ◡ – *dèdet Tèmpe* | *stàtebus* et ⏓̀ –́ ⏓ | –́ ◡ – *quod in bèllo* | *vòverat.*

Signis noto non ictus metricos — qui in prima parte versus Saturnii nulli sunt certi — sed accentus verborum iis quidem locis ubi notandi videbantur. nam

---

[1]) *nèque-tamen* ut ap. Plaut. et Ter. *fàcilius*. de vocibus paeonicis rem perspexit iam BENTLEIUS. more LINDSAYI lineola (—) copulo si quae voces pronuntiatione atque accentu in unius vocis corpus coeunt.

in accentibus verborum si quid habent ponderis, ut habent in sermone latino, est pars aliqua numeri in sermone innati. accentum acutum noto puncto (·), minorem autem virgula supina (`). sed cave ictus metricos cum accentibus confundas in ea quidem parte saturnii ubi numerus fluctuet. latent enim tali loco ictus metrici ut vox recitantis nec satis exprimat eos neque exsequatur. accentus autem verborum nimirum recitandis quidem sine cantu versibus eminent atque extant cum quantitatibus syllabarum.

Illud quoque — quod quidem cognatum est accentui minori vel potius genus accentus — virgula supina (`) noto si continuantur syllabae leves si qua ex iis levem habet impressionem. quod cum proprium est rhythmi etiam in soluta oratione si plures leves syllabae continuantur observare tali impressione ne indistinctus decurrat ordo syllabarum, tum in carminibus quod distinctior est rhythmus quam in soluta oratione eo magis hoc tenetur. in omni igitur poesi rhythmica, quae quidem a syllabis aliquo modo ponderandis non abhorreat, ratione fit ut impressiones sint non modo acutarum syllabarum sed etiam gravium saepe si continuantur graves plures. ut in illo *nèque-tamèn te oblitus sùm* cum duae syllabae *ne* et *li* acuantur tamen numeri ratio ac natura fert ut minores ictus addantur syllabarum illarum *men* et *sum*. et 94 *queì soreìs argùtieìs* praeter syllabam accentu sententiae acutam habet rhythmo naturali sermonis tris parvas impressiones. idemque in poesi rhythmica infimae latinitatis usu venit. ut in hymno illo *In hac die gratiae* (I 82 Milchsack) primi versus binis in syllabis habent accentum verum (satsakcent). quibus accedunt binae impressiones non «logicae» sed rhythmicae ut quaternae sint sedes percussionum: *In hac die gràtiè* ‖ *tùe èt clemèntiè*. similiter poetae hodierni. quod non in artificio quodam situm est sed fit natura ac sensu.

Sin ita recitabimus versum saturnium ut nullis syllabis praeter acutam demus impressiones, non versus exibit ex ore sed prosa. quid igitur? Thurneysen et Lindsay cum scandunt sic *Còrnélius Lúcius, sùpérbiter contémptim*, num versum facit illa scansio? scansionem dico? quid? absurdum nonne est hoc nomine uti de ea ratione quae rhythmum funditus tollat? volunt scilicet ictum nullum locum habere extra syllabam acutam et primam vocum quinque quattuorve syllabarum. quod frustra eos velle alia carmina rhythmica, ut dixi, declarant. nec vero certo scimus — quamquam fortasse habuit — habueritne VI urbis saeculo prima syllaba *Cornelii* accentum suum et peculiarem. sed nihil est quod dicamus *sŭ* syllabam primam adverbii quod est *superbiter* accentum habuisse Naevii aetate tam fortem ut ictum redderet metricum. ergo *sùpérbiter* dicere quasi saturnii aut alicuius versus partem magnae sane est temeritatis. quod vero Thurneysen et Lindsay aiunt quadrisyllaborum primam syllabam habere illum accentum ut *còmplúrimae*, negant trisyllaborum ut *complúres*, non ratione agunt sed libidine atque arbitratu suo. quid enim? si *còmplúrimi*, cur non etiam *còmplúres?* illud denique temere fingit Lindsay quadrisyllaborum accentum illum secundarium non esse nisi in primo versu, pentasyllaborum in omni versus parte. quid? quod Lindsay cum (Amer. Journ. 14. 315) sic scandit *Dúctŭ aùspicio* | *impérioque eíus* bis in eodem versu hanc

suam violat ipse legem. sed ruinae tales consequi solent contortae et angustae rationis temeritatem.

Sed redeo ad cola heptasyllaba ea quae in iambum cadunt. quorum tria esse genera videbamus.

Ac primi generis (⏒ – ⏑ | – ⏑ –) sunt

40. *nèque-tamèn te ob* | *litŭs sùm*
91. *ìmperàtor* | *dèdicàt*
51. *ìmmolàbat* | *àureàm*
94. *queì soreìs argùtieìs*
96. *qùquei hăc dedèrunt* | *ìnperà-*

Haec igitur hemistichia eodem modo structa et composita sunt atque dimetri trochaici catalectici Plautini et Terentiani, velut Ter. Heaut. 178 *Quicum loquitur filius*, Plautus Ep. 90 b *Sí sibí nunc álterám.* apparet summa similitudo, nisi quod ap. scaenicos in hoc genere cura incisionis est nulla. mitto quod communi lege et in saturniis et in scaenicis colis huius generis exitus conficitur puro iambo (⏑ –); quod forsitan dixeris non tam esse consilio quaesitum quam lege accinendi secutum. at illud quidem non casu oblatum est sed arte institutum ut ictus — si modo sunt aliqui ictus, quod in hoc quidem genere haud negaverim — saturnia haec cola pariter atque illa scaenicorum haberent aut in longa syllaba aut in duabus brevibus. quod ne quis fortuitum esse opinetur, consideret similem rhythmum in carminibus illis latinis quos medii aevi scriptores fecerunt ad accentus. exscribo exempli causa hymnum illum cuius modo (p. 7) feci mentionem:

Ín *hac* dí*e grátié* tú*e ét cleméntié*
mátrem té osténde.
Á qua flú*it* pí*etás* *quáeris ét benígnitás*
quam quaeso impende.
Ób *hoc ádte cónfluit* *múndus* cúï *ínfluit*
pí*etáte gráta.*
Bó*nitás mirábilís* *cúnctis ét amábilís*
tú*a grációsa.*
Vé*niát* celé*r itér* *dáns nóbis felícitér*
cúncta vírtuósa.
Et sursum ascendere *dónet* ét *arríp eré*
lóca *glóriósa.*

pleraque cola huius hymni — non adnumero exitum coli — sed etiam ceteris in sedibus habent ictum metricum in syllaba brevi: non in binis brevibus sed in singulis. nam quod Lindsay cum in numero saturnio nullam quantitatis rationem habendam censeat, tamen concedit esse solutionem quo numerentur binae breves pro singulis longis, id non fit in carminibus illis quae «medio aevo» facta sunt ad accentum.

Et quisquam dubitavit quin in saturniis illis quorum modo feci mentionem aliqua ratio habita sit quantitatum?

Iam vero cognatum huic generi est alterum illud quod constat dipodia iambica et cretico (⏓ — ⏓ — | — ⏑ —):

v. 7. *Cornèliùs* *Lùcĭùs* 93. *quolùndam fèstòsque dies*[1])
32. *donù-dănùnt* *Hèrcŏleì* 95. *gondĕcŏrant sàipìsumè.*

Haec quoque periculum feci ad accentus legendi. nam *donù-danùnt* cum duo verba in unum coeant antepaenultima *nu* acuitur more: v. LINDSAY Latin Language c. 3. § 8 (p. 169). Plautus Asin. 194 *donò-dabò;* 752 *dedit-dòno;* Truc. 544 et Mil. 1205 *donò-dedì;* Stich. 665 *donò-datùmst;* Truc. 279 *donò-darì;* 802 *donò-dedìt.*

Sed dum nihil antiquius habeo quam ut observem accentus, postposita ratione quantitatum, tamen eodem revolvor ut facere non possim quin hoc ipso in genere cernam certam rationem quantitatum. collatis vero generibus tribus his ratio illa quantitatum magis etiam apparet. nam posterior pars in omnibus eadem manet, quod concluduntur cretico: vel, quo agam subtilius, trochaica illa cola *(immolabat auream)* videntur exire in dipodiam catalecticam (— ⏑ ⊔), iambica *(Cornelius Lucius)* in procatalectam (⊔ ⏑ —). quae cum spatio sint pares, ad idem res redit. prior autem pars cum sit in illis dipodia iambica (⏓ — ⏓ —), in his trochaica (— ⏓ — ⏓), habent totidem moras: ⏓ — ⏓ — = — ⏓ — ⏓.

Accedit tertium genus turbato ordine, spatio eodem (⏓ — — ⏓ | — ⏑ —). eius generis sunt

6. *dèdet Tèmpe* | *stàtebùs* 88. *quòd in bèllo* | *vòverăt.*

Horum igitur omnium structura atque aedificatio continetur hac formula:

⏓ — ⏓ —		*Cornelius*	*Lucius*
— ⏓ — ⏓	— ⏑ —	*immolabat*	*auream*
⏓ — — ⏓		*dedet Tempe*	*statebus.*

Ergo hoc totum refertur ad mensionem quantitatum.

II. Venio nunc ad illa cola heptasyllaba quae cadunt in spondeum (trochaeumve) ut *consol censor* | *aidilis.* eorum est numerus amplus.

Posterior igitur pars horum est bacchius vel potius dipodia iambica catalectica (⏓ — — vel ⏓ ⊔). quod ipsum est rationis metientis quantitates. si enim solum accentuum ratio, nulla quantitatum haberetur, exitus coli esset nimirum non modo ⏓ ⏗ ⏘, sed etiam ⏑, ⏑́ ⏘. et quidem ita facti sunt saepe versus ad accentus. ut hymni S. Galli (DU MÉRIL poés. pop. I 156 sqq.) cum forma rhythmica sit (x) x'x x'x xx'x | (x) x'x x'x xx'x saturnio simillima, etiam sunt tales versus: *Lătrones* | et dúos | *occidunt fra*tres súos. *Consĕcran*do lócum || *lĭtabat rot*a précum. similiter in ludo de Antichristo (ed. MEYER): *Obsidio*ne ténent

[1]) *dies* in exitu coli colliquescens nimirum respuerem nisi viderem titulum esse scriptum ab homine rudi. nam iure SKUTSCH Forsch. I 57 [1]) «Die lautlichen Bedingungen für die Synizese sind eben nur im Satzzusammenhange gegeben». sed fortasse, ut vox ad vocem apta (satsdublett) non raro ex propria sede demigrat, ita *dies* monosyllabum consuetudine vulgi ad terminos potuit sententiae transferri.

et cett. at inter saturnia hemistichia quaeras frustra talia. *Servos vendunt* | et ăgros vel *Vinum fundit* | et áquam saturnia hemistichia essent iusta, si vera esset ratio Thurneyseni et Lindsayi. sed in carminibus saturniis talia cola inveniuntur nulla.

Prioris autem partis eadem est varietas quam in illis quae cadunt in iambum esse videbamus. nam horum quoque quae in spondeum cadunt prior pars constat tum ex dipodia trochaica tali quales sunt apud scaenicos vetustos dipodiae trochaicae, tum ex iambica, interdum mixta est iambo et trochaeo.

Trochaicum igitur quadrisyllabum habent haec hemistichia:

	— ⏑ — ⏑ |	⏑ — —		— ⏑ — ⏑ |	⏑ — —
3.	*Luciòm Sci-*	*pione*	10. 4.	*consol censor*	*aidilis* [1]
9.	*quoius forma*	*virtutei*	12.	*subigit omne*	*Loucanam*
13.	*quei apice insigne*	*Dialis*	14.	*Mors perfecit*	*tua ut essent*
16.	*quibus sei in longa*	*licuiset*	17.	*facile facteis*	*superases*
19.	*Terra Publi*	*prognatum*	22.	*quoiei vita*	*defecit*
24 a.	*annos gnatus*	*XX*	25 a.	*ne quairatis*	*honore*
26.	*Hoc est factum*	*monumentum*	27.	*hospes gratumest*	*quom apúd meas*
31.	*decuma facta*	*poloucta*	34.	*duello magno*	*dirimendo*
37.	*nequid fraudis*	*stuprique*	46.	*simul ac dacrimas*	*dĕ ore*
53.	*noctu Troiad*	*exibant*	55.	*eorum sectam*	*sequuntur*
61.	*Runcus atque*	*Purpureus*	62.	*blande et docte*	*percontat*
73.	*Sicilienses*	*paciscunt*	75.	*plèrique-òmnes*	*subiguntur* [2]
76.	*iàmque eius mèntem*	*fortuna*	79.	*immortales*	*mortales*
80.	*flerent divae*	*Camena*	82 b.	*loquier lingua*	*latina*
86.	*Romam redieit*	*triumphans*	98 a.	*Terra pestem*	*teneto.*
68.	*scopas atque*	*verbenas*			

Alterum genus habet eo loco dipodiam iambicam talem quales sunt dipodiae iambicae apud Plautum et Terentium:

	⏑ — ⏑ — |	⏑ — —		⏑ — ⏑ — |	⏑ — —
8.	*Gnaivod patre*	*prognatus*	11.	*Taurasia(m)*	*Cisauna(m)*
18.	*quare lubens*	*te in gremiu*	23.	*is hic situs*	*quei numquam*
28.	*bene rem geras*	*et valeas*	29.	*Quod re sua*	*difeidens*
30.	*parens timens*	*heic vovit*	35.	*fundit fugat*	*prosternit*
36 a.	*Amicum cum*	*vides ob-*	36 b.	*inimicus sĭĕs*	*commentus*
38.	*Virum mihi*	*Camena*	41.	*argenteo*	*polubro*
43.	*quandō dies*	*adveniet*	44 b.	*cor frixit prae*	*pavore*
45.	*ibi manens*	*sedeto*	48.	*nexebant multa*	*intérse*

[1] Non potuisse dici *cònsól cènsór* in populari et antiquo carmine Romano generis dupli iure monet Skutsch DLZ 1894 col. 49.

[2] *plèrique-òmnes:* v. Lindsay Cambr. Journ. of Phil. 20. 158. cf. Ter. Andr. 55 (I. i. 28); *plérique homines* Plaut. Ep. 166 a; *plérique argentarii* Curc. 377.

⏓ – ⏓ – | ⏓ – –		⏓ – ⏓ – | ⏓ – –	
50. *Novem Ioves*	*concordes*	56. *ubi foras*	*cŭm auro*
58. *patrem suum*	*supremum*	60. *bicorpores*	*Gigantes*
67. *quam cum stupro*	*redire*	70. *censet eo*	*venturum*
71. *superbiter*	*contemptim*	72. *reconciliant*	*captivos*
77. *magni metus*	*tumultus*	78. *Dabunt malum*	*Metelli*
83. *Ductu auspicio im-*	*perioque*	87. *Ob hasce res*	*bene gestas*
92. *aciptum aetatei*	*agedae*	95. *comvivia*	*loidosque*
99. *Enos Lases*	*iuvate*	74. *onerariae*	*onustae.*

Tertii generis cola faciunt quadrisyllabum illud ex iambo et trochaeo (vel spondeo) tale ut numerum infringat:

⏓ – – ⏓ | ⏓ – –		⏓ – – ⏓ | ⏓ – –	
15. *honos fama*	*virtusque*	33. *semol te orant*	*se voti*
57. *ferunt pulcras*	*crateras*	69. *virum praetor*	*adveneit*
97. *utei sesed*	*lubentes*	101. *Enos Mamor*	*iuvato* [1])

Sunt igitur quadrisyllabi formae hae:

⏓ – ⏓ –	*superbiter*	*quandŏ dies*	*cor frixit prae*
– ⏓ – ⏓	*Runcus atque*	*annos gnatus*	*flerent dirae*
⏓ – – ⏓	*honos fama*	*ferunt pulcras*	

Ergo quadrisyllabum in omnibus his colis syllabarum mensura par est dipodiae trochaicae vel iambicae [2]).

Quod non forte casuque ita accidisse, sed arte atque consilio esse ita comparatum ipsa rei docet natura. fac enim poetas Saturnios versus ita panxisse accentibus ut neglegerent quantitates: nonne hae quoque formae illius quadrisyllabi futurae fuerunt:

⏑́ ⏑, ⏑́ ⏑ ⁞ ⏑, ⏑́ ⏑ ⏑́ ⁞ ⏑́ –, ⏑́ ⏑ | ⏓ –́ ⏑, ⏑́ ⁞ ⏑́, ⏑ –́ – | ⏑, ⏑́, –́ ⁞ –, ⏑́ ⏑, –́ ⁞
– –́ ⏑ ⏑́ ⁞ ⏑́ ⏑ –́ ⁞ –, –́ ⏑ ⏑́ | –́ ⏑, ⏑́ ⏑ ⁞ ⏑́ ⏑, –́ ⏑ ?

In saturniis tamen hemistichiis nulla talis forma invenitur neque quadrisyllabi neque molossi soluti. at in rhythmicis similis numeri colis posteriores aetates ea saepe elaborarunt quae ita pronuntiarentur si quantitatum discrimina mansissent

---

[1]) Est etiam quadrisyllabum quod constet ex trochaeo et iambo (per duas voces distributis: – ⏑, ⏑ –. aliter enim foret spatio breviore quam pro parte priore iusti hemistichii heptasyllabi): 42. *tuque mihī* | *narrato.* [item 134. *summe deum* | *regnator*].

[2]) Saturnius qui huic legi repugnet versus est, quantum video, nullus. nam quae hemistichia ita solvunt longitudinem in binas breves syllabas, ut quattuor syllabae mensura ac rhythmo aequent trisyllabum, ea scilicet sunt ex alio genere, quod universo nomine hexasyllaborum continetur, ut dixi p. 4, cuius forma est haec: ⏑⏑ ⏑⏑ ⏑⏑ | ⏓ – – : 100. *sĕmūnīs* | *alternei,* 44 a. *ĭgĭtur demum* | *Ulixi,* 49. *topper cĭtĭ* | *ad aedis,* 59. *ĭnĕrant signa* | *expressa.* de quo genere agam capite IIII:o.

Denique qui locus ex Pauli Festo contracto p. 270 M = 369 Th a quibusdam — et ego olim fui in eo numero — refertur in Saturnios: *Simul alius aliunde rumitant inter sese,* de eo loco dicam capitis VII:i extrema adnotatione critica.

integra. ut ex Carmine de Antichristo, quod edidit Gul. Meyer 1882, paucos versus exempli gratia exscribo:

Deórum immortalitas *est ómnibús colénda*
eorum et pluralitas *ubiqu*e mé*tuenda*
stulti sunt et vere fatui *qui* déŭm *únum dícunt*
sic multa sunt officia *divers*aqué *deórum*
que nobis sunt indicia *discrím*inís *eórum.*
Sicut scripta tradunt *histó*rió *graphórum*
reges ergo singuli prius *institúta*
nunc Románo solvant *in*périó *tributa.*
Sed quod in militia válet *géns Francórum*
armis imperio *rex sérv*iát *eórum.*

Sed haec satis sunt, quae vereor ne esse videantur longiora. et hoc quidem nunc, credo, apparet in rhythmo simili dissimilia his, quae quantitatibus, esse illa cola quae accentibus sunt modificata.

Item illa quae in iambum exeunt eodem modo variare quadrisyllabum videbamus, ut constaret aut ex dipodia iambica aut trochaica aut ex iambo et trochaeo. quoniam autem posterior item pars trisyllaba est aut bacchius aut creticus, efficitur, cum spatio aequalis sit bacchius cretico, heptasyllaba cola ipsa spatio et mensione syllabarum aequalia esse:

— ⏓ — ⏓			— ⏓ — ⏓	
⏓ — ⏓ —	— ⏑ —	=	⏓ — ⏓ —	⏓ — —
⏓ — — ⏓			⏓ — — ⏓	

Ergo cum aliqua rhythmi varietate constanter servatur in his colis aequabilitas quantitates metiendi ac syllabas ponderandi.

Varietas autem rhythmi ex eo nata est quod cum coli prior pars tribus formis esset, posterior duabus, forma prioris partis quaevis utrivis posterioris adiungebatur. ita sex formae coli heptasyllabi exstiterunt.

Quod quomodo fieri potuerit ut tanta illa oreretur confusio, qua nostrae quidem offendantur aures, est haud facile dictu. sed sive artis nondum adultae imbecillitas non continuit numerum instabilem et tamquam fluentem sive varias formas miscuit cura fugiendi satietatem, commutati ac fluctuantes alii aliter rhythmi multis in carminibus antiquorum et recentium populorum reperiuntur. atque inter ea metra quae continentur syllabarum quantitatibus, Indorum hymni Vedici [1]) multa et memorabilia exempla praebent rhythmi similiter varii et incerti. nam ex quo colo (Indorum vocabulum est *pâda*) componuntur metra Gâyatrî et Anushṭhubh et

[1]) Verumtamen metra Vedica ita continentur quantitatibus ut minus diligenter quam in versu Saturnio syllabae ponderentur, numerentur diligentius. Oldenberg de Hy. Rig-V. I. 20: «man sieht zuvörderst wie der Begriff des Fusses hier durchaus unanwendbar ist. Was sich gleich bleibt ist zunächst nur die Sylbenzahl».

Paṅkti, eius coli forma principalis est ex duabus dipodiis iambicis (⏓ ⊥ ⏓ ⊥ ⏓ ⊥ ⏑ ⊥). sed commutato saepe rhythmo maxime quadrisyllabi primi pro ⏓ – ⏓ – etiam ponitur ⏑ – – ⏑ et – – – ⏑ et ⏑ – ⏑ ⏑ et ⏓ ⏑ – –. Oldenberg die Hymnen des Rigveda I p. 21: «Kurz zusammengefasst also scheint mir der Standpunkt, den die vedische Gâyatrî in Bezug auf den jambischen Rhythmus einnimmt, der Folgende zu sein. Dieser Rhythmus liegt in der zweiten Hälfte der Reihe offen zu Tage. In der ersten Hälfte kann er ebenfalls offen, er kann aber auch so zu sagen latent vorhanden sein: latent, d. h. in der Weise dass die jambische Vertheilung der Icten in freierer Handhabung durch gewisse andre Vertheilungen vertreten wird, die sich, indem vom Reihenende her Licht auf sie fällt, eben als Vertretungen des jambischen Rhythmus oder als auf ihn hinarbeitend erweisen». exempli causa affero Rig-Vedi VI 54. 1:

– – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ : – – ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑
Saṃ pûshan vi dushâ naya : yo âṅjasâ nuçâsati |
⏑ – – ⏑ : ⏑ – ⏑ ⏓
ya evedam : iti bravat.

Posterius igitur quadrisyllabum uniuscuiusque coli est compositum ad severiorem normam, magna licentia prioris. tamen etiam posterioris numerus interdum commutatur similiter atque in exitu hemistichii Saturnii, ut pro cretico (– ⏑ –) concludatur bacchio vel amphibrachy (⏑ – ⏓). ut:

⏑ – ⏑ – – ⏑ – ⏑ : – ⏑ – – – ⏑ –
tuaṃ no' agne mahobhiḥ : pâhi viçvasyâ' arâteḥ |
⏑ – ⏑ – – ⏑ – ⏓
utah dvisho martiasya. Oldenberg l. c. 23 sq.

Quomodo autem Vedici illi versus scandi debeant aeque incertum est ac de Saturniis.

Hoc tantum demonstrasse videor numerum Saturnium in priore quidem hemistichio fluere ac variari.

Et hoc illud est quod ii qui scribunt de numero Saturnio tantopere discordant neque quisquam adhuc potuit rationem numeri Saturnii probabiliter explicare. quod aeque cadit in eos qui ita scandunt accentibus ut neglegant quantitates atque in illos qui quantitatibus ut accentus nullius putent esse momenti.

Nam ii qui scandunt accentibus, inter quos primo loco nominari debent Ramorinus Keller Thurneysen Skutsch Lindsay, optime meriti sunt de hac re illi quidem nonnulla vel iudicando subtiliter vel observando diligenter [1]). sed quam finiti sint saturnii intervallis, quam distincti incisionibus, quamque apti quantitatibus syllabarum, haec non satis animadvertunt. quae si sustuleris, priori quidem hemistichio vix quidquam erit reliquum eorum quae faciunt saturnium versum. quo fit ut effugiat ex manibus numerus saturnius restetque immodulata turba verborum. qua re expositio haesitat et ipsa sibi repugnat. ac primum de Kellero,

[1]) Atque hoc loco grato animo profiteor me ex scriptis cum aliorum qui rationem illam sequuntur tum Skutschii et Lindsayi magnum fructum percepisse.

etsi apud eum rhythmus est paullo tolerabilior, tamen adsentior iudicanti acute Thurneyseno (v. THURNEYSEN, der Saturnier pp. 5—7). Ramorini etiam et Thurneyseni expositionem illo quod dixi vitio laborare satis apparet si quomodo quemque scandant Saturnium versum consideramus. cf. etiam REICHARDT Ann. Fl. Suppl. 19. 209 sq.

Satis igitur erit pauca dicere de ratione LINDSAYI, quem ex omnibus iis qui scandunt accentibus facio plurimi. is proponit has formulas (in the Amer. Journ. of Philol. 14. 311):

A) x′x(.)x′x, xx′x, ¦ x′xx, xx′x (aut xxx′x, x′x).
B) x′x(.)x′x, x′xx xx′xx, x′x (interdum xx′x, x′x).

sed non potuit varietatem versus Saturnii his formulis complecti. cuius rei ut exempla pauca ex multis afferam, Lindsay (l. c. p. 315) sic scandit titulos Mummii et Caecilii:

Dúctu àuspício ¦ impérioqu(e) éius
Àcháïa cápta ¦ Corínto deléto
Rómam rédieit triúmphans ¦ ob-hásce-res bene-géstas
Quòd in-béllo vóverat ¦ hanc áedĕm et sígnu
Hércul̀is-Victóris ¦ imperátor dédicat.

Hóc est-fáctum monuméntum ¦ Máarco Caicílio
Hóspes, grát(um)-est qu(om) apúd-meas ¦ restitístei séedes
Bène-rém-geras et váleas; ¦ dórmias sine-qúra [1]).

Tali scansione rhythmum quaerendi negotium erit etiam laboriosius si syllabas pronuntiando observabis discrimina quantitatum, quae ne Lindsayo quidem auctore neglegi debent [2]). Iam non modo numeri metrumque sed etiam prosodia claudicat.

---

[1]) Si vera est Lindsayi — ne dicam Ramorini aut Thurneyseni aut Kelleri — de versu Saturnio doctrina, multi Romanorum libri quos nunc vulgo credunt scriptos esse soluta oratione, saturnio metro esse vincti reperientur. sume exempli causa librum de agri cultura Catonis: videbis talibus Saturniis quales finxit Lindsay composita esse in eo libro plurima. ut cap. CXII:

Cóum si-voles fácere ¦ aqu(am)-ex-álto marínam
Súmito mári tranquíllo ¦ véntus cum non érit
Díes sèptuagínta ¦ ànte-vindémiam
Qu(o) áqua dúlcis non pervéniet. ¦ ub(i) háuseris de mári
Ìn-dólium infúndito ¦ nolító implére,
Quàdrantálibus quínque ¦ mínus sit quam plénum.
òpérculŭm impónito ¦ relínquito qu(a) inter-
spíret. ubi díes trigínta ¦ práeteríerint
trànsfúndit(o) in álterum ¦ dólium púriter.

Sed haec satis sunt. nam ex ceteris deinceps verbis quivis tales saturnios nullo negotio exprimet. nam quid commemorem quosdam horum versuum carere caesura Korschiana? quam ipsam per se quaesitam esse negat Lindsay l. c. p. 310: «The only caesura that really formed of itself an element of Saturnian metre was the break between the hemistichs».

[2]) Ita Lindsay, et quidem vere l. c. p. 139: «We can hardly suppose a writer to have given the same words, when used in Saturnian lines, an entirely different quantity and accent from their

praetereo hiatus admittendi inconstantiam. mitto incertam atque contortam de accentu minore doctrinam. illud vero gravius quod metri causa Lindsay accentum dedit iis syllabis, quae ipso auctore careant accentu. nam relativa pronomina et coniunctiones breves levesque ictu intendit Lindsay aut iniuria aut certe contra legem suam. ut in commentatione illa de Saturnio (Am. Journ. of Ph. 14) p. 315 v. 26 «**Quód** *ré sua*» et p. 318 v. 82 «**Ùbi** *fóras*». **àtque** metri causa accentu donatur duobus locis v. 87 et 132 Linds., quod cum meum sensum non offendat tamen dubito an non liceat Lindsayo qui neget ullas syllabas ἀτόνους posse ictum saturnii sustinere. — Binas breves poni posse pro longa docet, et quidem vere, quamquam rationi suae non convenienter; sed illud vereor ut umquam persuadeat cuiquam solutionem illam ita fieri si syllaba posterior obscuretur neglegentius vel supprimatur. quasi credibile sit urbanam vocem Romanorum illis temporibus solitam esse dicere *Cal'psonem ap'ce sem'l* et non *Călўpsonem, apice, semol?* (cf. Lindsay l. c. p. 306 et Idem vv. 61; 13; 30). cur autem sic docuerit Lindsay, causa est in aperto. nempe videbat solutionem illam vix concedi nisi aliqua in syllabis ratio haberetur quantitatum. ita compulsus est in illas angustias [1]. — V. 5 scribit metri causa *Aléria(m)que,* cum verius sit *Aleriá(m)que.* — Sed talia enumerare longum est. ergo Lindsay cum summa uteretur doctrina, summo acumine ingenii, tamen propterea quod profectus est a falsa ratione, id quod voluit non est consecutus.

Denique nemo adhuc eorum qui accentibus potissimum utuntur ad rhythmum saturnium explicandum rationem illam re comprobavit.

Nec vero magis probandi illi qui ad quantitates syllabarum totam scansionem versus Saturnii referunt quod omnibus fere Saturniis inculcari volunt formulam illam ⏑̄ ⊥ ⏑̄ ⊥ ⏑̄ ⊥ — *dabúnt malúm Metélli.* frustra. neque enim omnes Saturnii tali sunt hemistichio priore quale est illud *Malum dabunt Metelli* vel *Quod re sua difeidens:* immo plures repugnant. ut in Scipionis flaminis elogio (= vv.

---

quantity and accent in his other metrical compositions, or in the poems of contemporary writers». Idem in the Cambridge J. of Philol. 21. 205: «To our ears, I admit, it sounds as natural to make *înăequalis* out of *înāĕqualis* as to make *vŏlŭptatem* out of *vol͡uptatem,* but that is merely because we have not that acute sense of the difference between a long and a short vowel which alone made a quantative metre possible for him».

[1]) Cum in commentatione de *De lege versificationis* ita disputassem, solutionem illam coniunctam esse cum aliqua mensione syllabarum, contra id dicit sic Skutsch Indog. Anzeiger t. III p. 12: «Wenn sich übrigens in diesen Versen aufgelöste Hebungen zeigen, so wird die Möglichkeit dieser Erscheinung in akcentuirenden Versen z. B. durch das Germanische erwiesen, was Zander übersieht».

Sed in carminibus illis Germanorum, etsi accentus dominatur, tamen habetur etiam aliqua ratio quantitatum. atque ipsa ea solutio cum mensura syllabarum coniuncta est. qua de re Sievers altgerman. Metrik p. 27 § 9: «Träger der hebung sind am häufigsten lange silben; doch kann die stelle von ⊥ auch durch zwei silben von der form ⏑́ x (d. h. die folge von kurzer betonter + unbetonter silbe beliebiger quantität) vertreten werden». cf. ea quae disputavi in libro de lege versificationis p. 17 sq. — Idem Sievers p. 186 § 157: «Was die entwicklung der sog. 'auflösung' anlangt, so hat diese, wie ebenfalls von Möller bereits erkannt worden ist, ihren ausgang genommen von dem umstande dass sprachliche kürzen nicht über dass mass des ursprunglichen ♩ hinaus dehnbar waren».

13—19, cap. VI) unus versus quadrisyllabo reddit rhythmum illum iambicum: v. 18 *quare lubens* | . . ., ceteri discrepant: *quei apice insigne* | . . . . *mors perfecit* | . . . . *honos famă* | . . . ., *quibus sei in longa* | . . ., *facile facteis* | . . . . . *Terră Pūbli* | . . . . quibus locis aures damnant scansionem iambicam vel propter syllabarum ultimarum brevitates: *facilĕ famă Terră* — nimirum cum elogium illud scriptum est circiter a. u. c. DC nemo Romanus illa aetate A litteram ultimam nominativi produxit [1]) — vel propter longae accentum paenultimae et ictum ultimae intolerabili secundi pedis asperitate collisos: *mors pérfécit, honós fámá, quei apice ínsígné, facilé fácteis. Terrá Públí.* quae discrepantia non modo non rara sed etiam frequentissima est, v. p. 10. dixerit quispiam haec tribuenda inscitiae quod vates Saturnii quasi luctati sint cum materia sermonis inculti et adversantis metro. quod non est ita. Andronicus quidem Livius et Cn. Naevius, qui fabulis se praestiterint iambici rhythmi satis peritos nec deteriores panxerint iambos quam aut Plautus aut Terentius, iidem tamen non dubitaverunt saturnios facere quadrisyllabo primo ita comparatos. quid igitur? in elogiis Scipionum, quae Ennio et Pacuvio digna esse Woelfflinus iure iudicat, quadrisyllabi varietatem ab neglegentia inscitiaque profectam esse censemus ac non a consilio quodam? praesertim cum esset facillimum iisdem fere verbis quadrisyllabum illud ita conformare ut dipodia efficeretur iambica. ut in elogio illo Scipionis flaminis scribi potuit exempli causa sic: v. 13 *Quei cápite décus Diális* . . . . v. 14. *perfécit Mórs* . . ., v. 15. *decus fáma honós* . . . . v. 16. *sei in lónga iis* . . . . v. 17. *facteis tu fácile* | *anteísses* ‖ . ., vv. 18 et 19 *quaré lubéns te ingrémiu* |, *Scipió, Térra,* ‖ *Publi, áccipit prognátum* | *Públió, Cornéli* vel sic quoque: . . . . *Térra,* ‖ *Publí, recipít prognátum* | . . ., ut Plautus Poen. 1093 *Leno híc habitát vicínus.* (cf. R. Klotz altröm. Metrik p. 313 et Verg. Aen. 3. 78 *(tellus) haec fessos tuto placidissima portu accipit.*) sed diversa ratione agens aliud secutus est scriptor illius elogii. quid? Naevius si versus Belli Poenici eadem ratione qua iambos fabularum voluisset procudere nonne scripsisset v. 57 *pulcrás ferúnt cratéras.* qui cum mallet scribere *ferunt pulcras cratéras,* aliam rationem normamque secutus est in saturniis, aliam in iambis scaenicis. non igitur casus hoc fudit, non inscitia admisit; in quo studium inest quoddam varietatis, sed certa ratione temperatum. videbamus enim habere cola haec heptasyllaba certam temporum mensionem.

Quomodo tandem igitur scandebantur haec cola heptasyllaba?

Difficillimam sane quaestionem.

Temptemus exempli causa scansionem huius coli (v. 30): *parens timens heic vovit.* si scandemus *paréns timéns heic vóvit,* discrepabunt accentus et ictus bis in verbis continuis. quod non verisimile est in Saturnio versu, ubi quatenus licet firmum rhythmum scansione sequi discrepantia illa solet vitari (quod demonstrabo

[1]) Iam Ennius, quod demonstravit Reichardtus, A nominativi et accusativi terminationem praeter caesuram semper corripuit. elogium autem illud viginti quindecimve fere post annis quam Ennius erat mortuus scriptum est. quo minus fieri potuit ut longitudo antiqua diuque inusitata eius generis in eo elogio maneret.

in capitibus IV et V). sin scandemus *párens tímens heic vórit*, *parens* et *timens* patientur correptionem iambicam. quoniam enim haec cola saturnia mensura syllabarum composita esse vidimus, non magis in hoc genere quam in cetera poesi prisca Romanorum paenultimam vocis iambicae ictu metrico intendi poterit quin corripiatur ultima. quod non licet corripiendis illis *parens timens* quadrisyllabum illud brevius quam pro iusto spatio huius generis facere. nam ut vidimus p. 10 sq., quadrisyllabum coli heptasyllabi debet spatio aequare plenam dipodiam iambicam. non igitur licet scandere *párens tímens h. v.*

Sumamus aliud exemplum, v. 12 *subigit omne(m) Loucanam* | *opsidesque abdoucsit.* quomodo scandamus prius hemistichium? quod vulgo scandunt *subigít omné(m) Loucánam*, id, sive ad accentus sive ad quantitates referas scansionem, falsum est. primum enim ictu praegravabitur ultima brevis *-ít*, non idonea quae una impressiónem sustineat. quod si Saturnio versui tantam licentiam concesseris, tamen prava scansione erit proximus pes *omné(m)* posterior pars dipodiae iambicae. nam generis dupli quidem rhythmum esse declarat posterius hemistichium *ópsidésque abdóucsit.* relinquitur ut temptemus altero modo: *súbigit ómne(m) Loucánam.* sic tamen aeque haerebimus, ut non facile rem expediamus. nam discrepantia numerorum diversorum erit in versibus continuis:

v. 11. *Taurásiá(m) Cisáuna(m)* . . . . [1])
v. 12. *Súbigit ómne(m) Loucánam* . . . .

quod suspectum est. et qui ita scandat, ei perpetuo miscendi erunt trochaici versus iambicis. quos ita misceri potuisse et in Versibus Italicis Antiquis pp. LXXXIX sqq. demonstrare sum conatus exemplis et ne nunc quidem nego. sed si certum metrum dicas esse Saturnium quod certo et aequabili pedum ordine decurrat, iure dubia ac molesta tibi erit ea scansio quae in eo metro quod κατὰ στίχον ponatur tantam faciat rhythmi conversionem ut versus trochaici et iambici perpetuo misceantur. quod utut est, certe non congruit cum vi ac natura metri certi et aequabilis. sic igitur revocamur ad illud quod iam vidimus numerum Saturnium rhythmi cursu fluctuare.

Sed in illa scansione alia restabunt suspecta ac molesta. si enim scandas sic *súbigit ómne(m)* | *Loucána(m)* numerus infringetur et diffluet; qui primo trochaicus tum iambicus in eodem erit membro: quod absurdum est. quid? quod intervallum secundi et tertii ictus extendetur in spatium versificationi ex quantitatibus aptae inauditum et abnorme, quod cum proximis ictuum intervallis minime congruat.

Haec et talia perpetuo occurrent et obstabunt conanti scansionem prioris hemistichii saturnii redigere ad pedum ordinem certum.

Accedit quod item posterior pars prioris hemistichii formis est ordine syllabarum dissimilibus sed spatio fere paribus ◡ – et ◡̄ .

---

[1]) Sin scandas cum quibusdam *Táurásia(m) Cisáuna* et omnem rhythmum tollas nec minor erit discrepantia in versibus continuis: *Táurásia(m) Cisáunam* . . . . | *Súbigit ómne Louc.* . . . ictibus aliter in alio versu distributis, ordine aequo in hoc versu, turbato in illo.

Nihil igitur relinquitur nisi ut abiciamus hos vanos conatus desistamusque una aliqua ictus disponendi formula comprimere rhythmi libertatem ac varietatem.

In cantu autem quomodo res se habuerit in medio relinquo. quamquam canentem et oportet nimirum aequabilitatem rhythmi revocare ad severiorem normam et licet ob id ipsum tamquam materiam sermonem vel τὸ ῥυθμιζόμενον maiore licentia tractare. quamobrem veri simile est, cum canebantur saturnii, fuisse aequabilem et ordinem et numerum impressionum. quod consentaneum est praesertim in eo metro quod *κατὰ στίχον* ponatur. sunt autem hemistichia talia ut quaternarius impressionum numerus potissimum iis convenire videatur, ut *ìmmolàbat àureàm.* item illud genus, cuius est *supèrbitèr contèmptìm* et illud, cuius *Romànus èxèrcitùs*, videntur accommodate potuisse quater feriri. de aliis satius esse duco iudicium sustinere. quamquam si aut Andronici Odyssia aut Naevii Bellum Poenicum umquam cantatum est, non video quid sit cur non licuerit canentem dicere *ferúnt pulcrás cratéràs* et *noctú Troiád exíbànt* ut *supérbitèr conténptìm.*

At aliud est canere aliud recitare. cum igitur recitabantur saturnii, rhythmus prioris hemistichii — nam posterius in alia causa est — videtur fuisse instabilis et tamquam suspensus (svävande, schwebend).

Cum enim rhythmus poeticus habeat haec duo distincta atque aequabilia: spatia et impressiones, impressionum distinctio aequabilis non raro abest, ut inde a medio aevo in carminibus francogallicis et italicis. et Saturnius versus spatia aequabilia servat mensura et moderatione syllabarum, servat distincta crebris intervallis dihaeresis atque incisionum; impressionum autem distinctam aequabilitatem in posteriore hemistichio saepius tuetur, missam facit in priore.

Sed haec rhythmi tamquam suspensi commutatio ita est in Saturnio arta et astricta ut paucis formis contineatur. in quadrisyllabo his — ⏓ — ⏓ et ⏓ ⏓ et ⏓ — — ⏓, in trisyllabo his — ⏑ — et ⏓ — —. nempe severum illud ingenium Romanum amat omnia lege astringere.

Illud autem commutari rhythmum non modo non peculiare est Saturnii versus sed etiam commune ei cum multorum populorum poesi. De Indis quidem (p. 12 sq.) commemoravi et de populis quibusdam Europae australis. sed hos aliosque mittamus et latinae poesis terminis contineamus potius nostram disputationem. etenim plurima exempla sane suppeditat latina medii aevi poesis. quorum ex immensa copia pauca sumo [1]). *Visio* igitur *Anselli Scholastici* (Du Méril poés. pop. I 200) hoc modo decurrit:

[1]) Affero illa exempla propter similitudinem, non quod credam eandem his ac Saturniis causam aut rationem subesse. nam rhythmi illi recentiores, id quod ostendit Ramorinus libro qui inscr. ›La pronunzia popolare dei versi quantitativi latini‹, tales facti sunt, cum quantitatum rationi ratio accentuum succederet; Saturnii autem primordia inde ab antiquis temporibus in magna dissensione versantur et obscuritate. quodsi domestica est origine Saturnius, quod dicunt Ennius ap. Cic. Brut. 71 et Horatius ep. 2. 1. 156 sqq., fortasse illa rhythmi inconstantia nata est tum cum Camenae Italae se transtulerunt ab numerandis syllabis ad ponderandas ac metiendas. sin vere iudicat secutus fortasse Varronem Caesius p. 9 K = GLK VI 265 graecam esse originem, causa forsitan repeti debeat a magna difficultate obiecta iis quibus metrum peregrinum domestico sermoni inculto erat accommodandum.

In Sálomónis férculó
Quod construxit *de Libano*
Ex lignis mirabilibus
Mystica *signans altius*
Ubi *reclinatorium*
Ex auro struxit optimum
Ascensuque *purpureum*
Ob Hierusalem *filias.*

videmus rhythmum iambicum plerisque versibus non tam esse expressum quam adumbratum; quia prior pars coli saepius est rhythmo suspenso ac vago.

Magis etiam turbatus est rhythmus septenarii trochaici in *Cena S. Cypriani* (Du Méril l. c. I 193):

Simon Petrus prior bibit | deinceps *apostoli*
Et quia vinum *furatus* | *Amelsad subduxerat*
Hinc Crinippus murmurabat; | Johannes bibit *aquas,*
Vinum petebat *Maria,* ar|chitri*clinus hydrias*
Ampullam *ferebat Martha,* | *Judas fert invidiam.*
Ismahel sitiebat, vult | *bibereque Tobias,*
Nón concéssam máter ámbit | *filiórum glóriám.*

ultimus horum versus unus rhythmum exhibet integrum, ceteri turbant. nec tamen quisquam facile recitaverit metri causa aut v. 3 sic: *Jóhannés bibít* aut v. 6. *sitiebát vult.* nam qui ita agat is vim faciat sermoni; qua re non magis satisfaciat auribus numerum exigentibus quam si quis Saturnium sic recitet: **Subigít omné(m)** *Loucánam* . . . . sed potius dicimus more communi loquendi et *Johánnes bibit* — *sitiébat vult* et in Saturnio illo *súbigit ómne(m) L.*

Eadem ratione nimirum utimur si recitamus aliquid ex *Auspicii* circiter a. ccccLXX scripta *epistola ad Arbogastem* (Migne LXI 1006), ut v. 6 et 7.

Sed núnc fecísti máximó | *mě éxsultáre gáudió*
Maior etenim solus | *appáruísti ómnibús.*

Postremo affero tris versus *ex hymno Secundini in laudem S. Patricii* (Migne LIII 837), in quo carmine commutati rhythmi forma principalis similis est Saturniis his colis de quibus nunc quaeritur:

Audite omnes *amántes* | *Déum sáncta méritá*
Viri in Christo *beáti* | *Patrícií epíscopí*
Quomodo bonum *ob áctum* | *símilátur ángelís.*

Sed haec satis sunt. denique quidquid huius generis recitatur, vox servatur communis et consuetudo vera loquendi, quod ni ita feceris sis pueriliter ineptus moveasque risum. itaque quibus locis rhythmus decurrit aequus, sine ulla molestia voce recitantis exprimitur; sin quo loco inciderit illa inaequalitas ac licentia, tenemus rhythmum suspensum vel quasi latentem. idem fiebat, credo, recitandis versibus Saturniis.

Sed cum plurimum differt inter versum Saturnium et poesin illam cuius iam fecimus mentionem, tum hoc discrimen est magni momenti quod rhythmi illi christiani positi sunt in accentu et syllabarum numero et caesura, saturnius numerus

et modo finita cola habet et crebro distincta ac divisa eademque ita apta ac modificata quantitatibus syllabarum ut rhythmus progrediatur non per pedes — pedes enim in Saturnio numero nulli sunt certi — sed quasi per dipodias — si licet in hac re dipodiarum nomine non propria vi uti — vel potius per commata dipodiis — tum acatalectis tum catalecticis — aequalia. ex quo efficitur ictum metricum maiorem vim habere in rhythmos illos christianorum, qui sine accentibus vel percussionum ordine stare non possunt. quoniam autem Saturnius numerus firma est structura, quantitate ac pondere syllabarum aptus, eam ob rem ad versum numerumque poeticum, dum posterior pars versus rhythmum exprimat percussionibus, non necesse est priorem quoque partem una aliqua metri forma astringi aut reddere aequabilem ordinem percussionum.

Ergo non opus est recitationem prioris hemistichii ad ictuum aliquam formulam dirigere, non opus est vanum illum laborem suscipere ut moliaris scandendo tollere prioris hemistichii varietatem.

Prima fere versus parte haec varietas ac licentia numeri et in Saturniis et in rhythmis illis christianis continetur. quod ratione fit, non casu. certe studii illud est et voluntatis potissimum ineuntis versus numerum libertate quadam temperare. sensus enim ac natura eo ducebat. nam quod imitatione non satis callida antiquorum exemplarium ortam esse apud christianos libertatem illam rhythmi dicit Ramorinus, quamquam hoc non iniuria ille quidem, tamen originem eius rei circumscribit angustioribus quam par est terminis. si enim ab nulla re alia praeter servilem imitationem profecta esset illa accentuum inaequalitas, etiam ad exitum versus pertineret. in exitu enim versus iambico apud antiquos discrepantia accentus et ictus apparet maxime. quod non modo non imitati sunt ii qui rhythmos iambicos et trochaicos accentibus fecerunt, sed etiam secuti sunt in posteriore versus parte summam accentus et ictus conspirationem. quamobrem discrepantia illa ineuntis rhythmi non solum imitatione nata est verum etiam studio vel facilitatis vel varietatis. atque etiam in Prudentii versibus iambicis et trochaicis qui mensura quantitatum ita compositi sunt ut magna accentus ratio habeatur, discrepantia accentus et ictus in prima parte versus maior est fere quam in versus exitu. nec vero «vulgaris poeta» fuit Prudentius neque is qui sine arte aut sine iudicio exemplaria vetera sequeretur.

Servius ad Verg. G. 2. 385 «versibus» inquit «incomptis ludunt, id est carminibus Saturnio metro compositis, quod ad rhythmum solum vulgares componere consuerunt». hoc loco Servius cum «ad rhythmum solum» dicit, id genus videtur intellegere quod careat ordine pedum certo. item Victorinus 206. 7 *K*. «Rhythmus quid est? verborum modulata compositio non metrica ratione, sed numerosa scansione ad iudicium aurium examinata, ut puta veluti sunt cantica poetarum vulgarium». Beda 258 sq. *K* quod hoc ad accentuum modulationes poe-

ticos refert, non reprehendo; sed ex eo non efficitur a Servio et Victorino vulgares poetas dici nullos praeter eos qui nullam quantitatum, omnem accentuum rationem haberent. ac potius crediderim «vulgarium poetarum» ab illis dici carmina talia, qualia multa inter reliquias inscriptionum posteriorum invenimus, quae universo genere composita sunt non tam accentuum norma quam quantitatum, sed tamen non satis constanter servant discrimina quantitatum, quod ii qui scribebant, qui plerumque erant homines de plebe indocti, discrimina antiqua quantitatum in syllabis non iam satis suptiliter percipiebant auribus. quia enim nondum Victorini Marii nec Mauri Servii aetate rhythmi illi, ad accentus solos compositi, erant in usu communi et vulgari, talium rhythmorum poetae ab iis dici non potuerunt «vulgares». non igitur — quod vidit iam Luc. Mueller — licet Servii illum locum ita interpretari ut «ad rhythmum» idem sit quod «ad accentus», sed potius, sicut aliis locis Grammaticorum, item hic contraria fiunt ab Servio r h y t h m u s e t m e t r u m. metri autem nomine intellegebatur praeter modum finitum certus ordo pedum [1]. «incomptum» igitur illud numeri Saturnii voluit Servius illustrare exemplo poetarum aequalium.

Iam Caesius Bassus 9 = 265 *K* «nostri autem», inquit, «ut vere dicam quod apparet, usi sunt Saturnio non observata lege nec uno genere custodito». hoc Caesii videtur eodem pertinere quo illud Servii. «Legem» enim Caesius videtur dicere metri, quae certum ordinem pedum modumque praescribat, «genus» autem rhythmi (γένος). cum enim Caesius prius hemistichium existimaret esse generis iambici, talia hemistichia quale illud *consol censor aidilis* ei sine dubio videbantur, non custodito proprio Saturnii genere duplo vel iambico, vitiose transire in genus aequale vel anapaesticum. illud autem *ferunt pulcras creteras* aliaque talia etsi speciem quandam generis iambici retinebant, tamen Caesio iambica formula Saturnios metienti erant non observantis legem metri iambici.

Iam discrimina quantitatum infimae aetatis poetis christianis, sive quantitates sequebantur sive non curabant, fuerunt obscuriora, Saturnii autem vates acri atque integro sensu aurium usi sunt ad syllabarum metiendas quantitates. denique in rhythmis illis christianis ars est ad barbariem delapsa, in Saturniis nondum perfecta, cui satis essent similiter decurrentia spatia membrorum. ergo Saturnius numerus exemplo illustri declarat aliquid veri inesse in hoc Quintiliani (inst. 9. 4. 114): «*Poema nemo dubitaverit impetu quodam initio fusum et aurium mensura* et s i m i l i t e r d e c u r r e n t i u m s p a t i o r u m o b s e r v a t i o n e *esse generatum*, m o x *in eo* r e p e r t o s p e d e s».

[1]) Ut Atilius Fortunatianus p. 282 *K*: «Inter m e t r u m et r h y t h m u m hoc interest quod metrum circa divisionum pedum versatur, rhythmus circa sonum». — Mall. Theod. 588 *K*: «Si quid ergo — non ad certam pedum legem sed ad temporum rationem modumque referatur — id n o n m e t r u m s e d r h y t h m o n esse sciat».

CAPUT IIII.

De colis minoribus vel hexasyllabis pentasyllabis quadrisyllabis.

Dimensa igitur esse syllabarum quantitatibus spatia et universi coli heptasyllabi et commatum eius vidimus. nunc hexasyllaba pentasyllaba quadrisyllaba quomodo sint comparata videamus.

Ac primum **de hexasyllabis** agamus.

Omnia genera hemistichiorum, sive breviora sunt sive longiora, per se versum efficere posse monocolum p. 1 sq. videbamus et heptasyllaba bimembris versus partem non posteriorem esse sed priorem. pentasyllaba autem et quadrisyllaba in posteriore Saturnii parte collocantur, non in priore.

Hexasyllaba autem hemistichia modo in priore, modo in posteriore parte Saturnii collocantur. nec tamen promiscue. si enim priora sunt hemistichia alia specie sunt.

Nunc igitur de colis hexasyllabis quaerentes, quia ut heptasyllaba item hexasyllaba alia in iambo insistunt alia in spondeo, in utroque genere eum ordinem sequemur ut primum priora hemistichia enumeremus deinde posteriora vel secunda. ac primum de iis quae in duo trisyllaba dividuntur.

Posteriore commate hexasyllaba cum heptasyllabis congruunt. differunt priore.

In iambo igitur insistunt haec hemistichia hexasyllaba priora:

	— — —	◡ —		◡◡ ◡◡ ◡◡	◡ —
1.	*Honc oino(m)*	*ploirume*	2.	*dŭŏnōrō(m)*	*optumo(m)* [1])
5.	*hec cepit*	*Corsica(m)*	47.	*Mercŭrĭus*	*cumque ĕo*
62 b.	*Troiam urbem*	*liquerit*	20.	*Magna(m) săpĭ-*	*entia(m).*

Posteriora autem huius generis membra, quae sunt rara, corripiunt tertiam syllabam:

	— — ◡	— ◡ —
64.	*fortissi-*	*mos viros* [2])
[142.	*prognatŭs*	*Pythius*].

[1]) De soluta longitudine dictum est p. 4.

[2]) Cf. A. Reichardt Ann. Fleck. Suppl. 19. 224.

Nam quod in titulo illo tam incomposito coquorum et alia membra posteriora et v. 92 *Gonlegium quod est* inverso ordine vitiose praeponitur de ea re dixi p. 1.

Ergo priora hemistichia huius generis hexasyllaba habent commata paria alterum molosso alterum cretico; posteriora palimbacchio et cretico. quod non potuit forte casuque ita evenire. et elucet profecto etiam in hoc ratio disciplinae ita rem instituentis ut huius quoque generis cola quodam modo struerentur syllabarum quantitatibus. nam in illis quidem rhythmis similibus in quos accentus solus dominatur tam constantes ordines quantitatum frustra quaerimus. sume exempli causa pericopam ex hymno qui inscribitur *Victori gentium* (73 MILCHS.):

Tèr vírgis cáeditùr
Sèmel lapídibùs
Tèr mári mérgitùr
Nèc périt flúctibùs.

Primus versus unus reddit schema illud — — — — ◡ —, secundus hanc habet seriem ◡ — ◡ ◡ ◡ —, tertius et quartus — ◡ — — ◡ —. in Saturniis autem nec talia cola inveniuntur neque illa inconstantia vel potius neglegentia quantitatum.

Item illa priora hemistichia quae in spondeum cadunt priorem partem habent parem molosso. haec est igitur forma priorum hemistichiorum:

	— — — | ◡̄ — —			◡◡ ◡◡ ◡◡ | ◡̄ — —
21.	*aetate*	*quom-parra* [1])	44 a.	*ĭgĭtur demum*	*Ulixi*
67.	*seseque i*	*perire*	25 b.	*quei mĭnŭs sit*	*mand⟨at⟩us*
100.	*Sĕmŭnĭs*	*alternei*	49.	*topper cĭtĭ*	*ad-aedis*
24 b.	*is ⟨Dit⟩eis⟨t⟩*	*m⟨an⟩datus*	49 b.	*ŭtrum gĕnŭa*	*amploctens* [2])
47 b.	*partim errant*	*nequĕnunt*	59.	*ĭnĕrant signa*	*expressa*
54.	*flentes ambae*	*abeuntes*	[137.	*silvĭcŏlāē*	**homōnes*] [3])
[117.	*atque escas*	*habemus*]			
[140.	*edicit*	*praedicit*]			

Posteriora autem huius generis hexasyllaba hemistichia, quae sunt plurima, corripiunt secundam syllabam, tertiam habent in caesura ancipitem.

	— ◡ x̱ | ◡̄ — —			— ◡ x̱ | ◡̄ — — [4])
3.	*filios*	*Barbati*	7.	*Scipio*	*Barbatus*
8.	*fortĭs vir*	*sapiensque*	10.	*quei fŭĭt*	*apúd-vos*
75.	*sub suum*	*iudĭcĭum*	53.	*căpĭtibus*	*opertis*
12.	*opsidesque*	*abdoucsit*	15.	*gloria atque*	*ingĕnĭum.*

[1]) *aetate* ultimam habet longam: v. cap. VI adn. ad v. 21.

[2]) *ŭtrum* paenultimam habet longam: v. cap. VI adn. ad v. 54.

[3]) v. 142 fortasse: *dein pollens | sagittis;* quo loco libri habent *deinde p.;* v. SKUTSCH, Forsch. I 82 sqq.

[4]) x̱ significat syllabam longam esse solere illam quidem, sed posse in caesura esse ancipitem.

item posteriora hemistichia horum versuum: 4. 13. 17. 18. 21. 22. 23. 28. 29. 31. 34. 35. 36 a. 38. 41. 42. 45. 46. 47. 47 b. 50. 57. 58. 59. 62. 65. 66. 67. 69. 71. 73. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. monocolos versus huius generis est 90. *Herculis Victoris.*

Raro inveniuntur cola — ea item sunt posteriora — his formis

— — ⏑ | ⏔ — —		et	⏑ — x | ⏔ — —	
20. *multasque*	*virtutes*		98 b. *Sălūs hīc*	*maneto*
[132. *vestemque*	*citrosam*]		94 b. *Opidque*	*Volgani.*

ex eodem genere sunt versus monocoli 85. *Corinto* | *deleto* et 102. *Triumpe* | *triumpe.*

Denique ut rem breviter comprehendam, hexasyllaba cola ea quae constant ex duobus trisyllabis his sunt formis:

a) cola priora	— — —	⏔ — —	*Sēmūnīs*	*alternei*
		— ⏑ —	*Honc oino(m)*	*ploirume*
b) cola posteriora	— ⏑ —	⏔ — —	*Scipio*	*Barbatus*
	[— — ⏑]		[*multasque*	*virtutes*]
	[⏑ — —]	[— ⏑ —]	[*fortissi-*	*mos viros*]
			[*Sălūs hic*	*maneto*].

Ergo et formae coli prioris in hoc genere pares sunt magnitudine et formae coli posterioris ipsae aequales dimensione ut inter se comparatae quasi aequis ponderibus librentur. nam — ⏑ — = — — ⏑ = ⏑ — —. quod non potuit esse fortuitum.

Ac ne illud quidem temere factum est sed ratione quadam institutum ac lege temperatum ut in prioribus hemistichiis trisyllabum illud prius esset sex morarum (— — —), in posterioribus quinque (— ⏑ — et ⏑ — — et — — ⏑).

Nam quod posteriora hemistichia in caesura nonnumquam brevem producunt, neque productio ulla est extra caesuram nec talis productio metrica, quae in caesura versetur, licentiae est Saturnii versus propriae sed communis ei cum aliis metris graecis et romanis quae syllabarum mensura continentur. Homerus quidem et Ennius et Vergilius non dubitaverunt productiones metricas huius generis admittere. in Saturniis talia sunt 36 a (ob-)*līvīscere* | *miserias;* 38 *insecē* | *versutum;* 42 *omniā* | *disertim;* 53 *capitibus* | *opertis;* 77 *pectorā* | *possīdit;* 94 b *opidquē* | *Volgani;* 68 *sagminā* | *sumpserunt* et in alio hexasyllaborum genere 16 *parisumā* | *fŭit;* 37 *ferociā* | *pariat.* pleraque horum *-a* producunt. ita Ennius: *et densis aquilā* | *pennis obnixa volabat,* cf. Luc. Mueller de Q. Ennio p. 240.

Ne hiatum quidem, quantum ex reliquiis licet coniecturam facere, Saturnius versus habet extra caesuras. sed uno loco extra dihaeresin verus est hiatus v. 29.

asper(a) | *afleictā* [1]). nam fortasse neque 2 *duonorō(m)* | *optumo(m)*, quo loco retinetur longitudo ultimae, neque illa cum productione metrica 49 b *virginem* | *oraret* aut 58 *optumum* | *appellat* veri sunt hiatus: v. Prisc. I 30. 4 *H*, Leo Plaut. Quaest. 305 sqq., Lindsay Lat. Lang. cap. II § 153. ac ne *onerariae* | *onustae* quidem (v. 74) molestum habet hiatum. de quo genere copiose et subtiliter Leo Plaut. Quaest. 320 sq. in eademque causa est illud incertius fragmenti valde corrupti 123 b *importunae* | *undae*. — postremo praetereo legitimum hiatum: 49 *topper cĭtī ad-aedis*.

Cur posterioris hemistichii caesura ancipiti syllabae posset locum praebere, prioris non item, causa videtur fuisse in eo quod formam solemnem posterioris hemistichii (⏑́ ⏑ ⏑̀ | ⏒ ⏑́ –) *κατὰ στίχον* iterare erat perdifficile, praesertim in carmine longiore; prius autem hemistichium, quippe quod variandi copiam daret rhythmus incertus ac suspensus, facilius erat expedire [2]). cf. etiam Leo Plaut. Quaest. 309. [4]).

Posterius enim hemistichium varietate rhythmi est exigua ac paene nulla. cuius generis cola perpauca habent rhythmum quadam tenus suspensum: 98 *Salus hic* | *maneto* et 20 *multasque* | *virtutes*, ut non dicam incerta. raro igitur est in posteriore parte versus Saturnii commutatio vel potius obscuratio illa rhythmi, cum sit tam frequens in priore.

Posteriore igitur versus parte poetae Saturnii stabilem atque constantem rhythmum sequebantur. ibi enim usitatus rhythmus est hic: ⊥ (⏑) ` | (⏒) ⊥ – *filiùs* | *Barbáti* | *Sámniò* | *cépit* ‖ *róto hòc* | *solúto* aut ita, ut caesura unum gradum promoveatur: ⏒ ⊥ ⏑ ` | ⊥ – *tibe útièr* | *vita*.

Priora autem hemistichia hexasyllaba ipsa quoque quod ad accentus attinet varietate sunt rhythmi ea quae congruat cum colis heptasyllabis, ut ex illis ratio huius varietatis videatur esse repetenda.

Nam cola hexasyllaba ex heptasyllabis videntur esse nata contractione. qua contractione sublata syllaba ex quadrisyllabo exstitit trisyllabum. quod autem deminutum est de numero id in prioribus hemistichiis quodammodo compensabatur longitudine syllabarum. institutum est enim ut prioris coli prius trisyllabum esset semper aequale molosso (aut solutione aequale ionico), ne priora hemistichia hexasyllaba, quae ponerentur in loco heptasyllaborum, ad aures accederent parum ponderosa. atque qua cognatione conexa sint hexasyllaba hemistichia priora cum heptasyllabis, sic fere poterit describi:

---

[1]) In lapide ASPER AFLEICTA est neglegenter scriptum pro aspera afleicta, ut in titulo Mummiano DVCT AVSPICIO pro ductu auspicio, quod sane haud insolitum est. quod autem Buecheler asper afleicta legens affert Verg. A. 8. 365 rebus non asper egenis, id alienum est. cf. Servius ad h. loc.: Non asper non aspernator, id est non fastidiosus.

[2]) Scilicet hemistichium saturnium caesura Korschiana magis dividitur quam caesura sua senarius iambicus. nam et tardior incessus numeri Saturnii locum praebet longioribus intervallis quam pes ille citus, et hemistichium saturnium caesura dividitur in dipodias quasdam; quod non item fit in senario iambico.

— —̇ ⏓ — | ⏓ — —	*seseque ĕī*	*perire*
— —̇ — | ⏓ — —	*seseque ī*	*perire*
—̀ ⏓ —̇ — | ⏓ — —	*àevitàte*	*quom-pàrva*
—̀ —̇ — | ⏓ — —	*àe-tàtĕ*	*quom-pàrva*
—̇ — —̇ ⏓ | ⏓ — —	*flentes ambăĕ*	*abeuntes*
—̇ — —̇ | ⏓ — —	*flentes amb(ae)*	*abeuntes*
—̇ ⏓ —̇ — | — ⏑ —	*Troiăm urbem*	*liquerit*
—̇ —̇ — | — ⏑ —	*Troi(am) urbem*	*liquerit*
⏓ —̇ — —̀ | — ⏑ —	*Permagnam săpĭ-*	*-entiam*
—̇ — —̀ | — ⏑ —	*Magna(m) săpĭ-*	*-entia(m)* [1]

Est genus hexasyllabi quod sit ex q u a d r i s y l l a b o et d i s y l l a b o, cuius mentionem fecimus p. 4.

Atque in p r i o r i b u s hemistichiis quadrisyllabum huius generis tale est quale in colis heptasyllabis. sunt igitur hae formae:

⏓ — ⏓ — | — —	*mea puera quid*	*verbi* (v. 39)
	magnum stuprum	*populo* (v. 65)
— ⏓ — ⏓ | — —	*òbliti-sunt*	*Romae* (v. 82) [2]
	prima incedit	*Cereris* (v. 63).

[1]) Quod SKUTSCH dubitans potuerint necne syllabae leviores in Saturniis supprimi dicit (DLZ 1894 col. 51): «da sei denn einmal an Kundigere die Frage gerichtet ob eine volksthümliche quantitirende und nicht für musikalischen Vortrag bestimmte Dichtung überhaupt die sogenannte (metrische) Synkope kennen kann»: eam quaestionem ita proponit quasi suppressio levis syllabae propria sit eorum carminum in quibus quantitates syllabarum nullius sint momenti ac non eorum in quibus quantitatum ratio aliqua habeatur. quod contra non est illa suppressio vel quasi contractio neque in «rhythmis» latinis illis qui medio aevo ad accentus facti sunt neque in poesi Italorum recenti aut Francogallorum. at est in carminibus antiquis Anglosaxonum et Scandinavorum, in quibus summa vis ita est accentus ut tamen quantitates syllabarum ad versum conformandum cum accentibus quodam modo conspirent. atque ad ipsam suppressionem levis syllabae, id quod ostendunt Möller et Sievers, ratio quantitatis aliquid pertinet. Sievers altgerman. Metrik (Halis 1893) p. 180 § 150: «Die m i n d e r u n g d e r s i l b e n z a h l im germ. AV hat MÖLLER wol richtig mit den germ. auslauts- und synkopierungsgesetzen in zusammenhang gebracht. Wo nämlich durch diese gesetze ursprünglich vorhandene vocale, und damit zugleich für den vers zählende silben verloren giengen, wurde deren zeitdauer von der vorhergehenden betonten silbe mit übernommen, sofern dieselbe l a n g d. h. d e h n b a r war oder durch die synkope wurde. — — — An die stelle der silbenfolge ⊥ x und ⏑́ x resp. ♩♩ und ♪♩ trat dann die z w e i m o r i g e l ä n g e —́ und ⏑́ resp. 𝅗𝅥 und ♩ (zweimorig hier im von ²⁄₄ länge, im gegensatz zu dem früheren durchschnittswert von ¹⁄₄ für alle silben». cf. Idem l. c. p. 184 § 156. quod si p r i m o r d i a illius rei extiterunt c a n t a n d i s v e r s i b u s — ita enim credo extiterunt et in Germanicis illis versibus et in Saturniis — tamen ita natae varietates tralaticiae ac solemnes rhythmi in illis quoque versibus qui recitabantur usurpari et potuerunt et debuerunt. nam cantatos esse antiquissimis temporibus Saturnios exemplo sunt carmina Arvale et Saliare, quae cantata esse ab sacerdotibus memoriae proditum est.

[2]) *Òbliti-sunt* accentum maiorem habet in *ti* syllaba: v. Lindsay in the Cambr. Journ. of Philol. t. 20. 144.

Posteriora autem huius generis hemistichia ita temperata sunt quantitatibus syllabarum ut aequalia sint ceteris posterioribus hemistichiis. his igitur sunt formis:

⏒ — ⏑ x̲ | — —	*tibe utièr*	*vita* (v. 16)
	parisumà	*fùit* (v. 19)
	feròcià	*pàriat* (v. 37)
	Laèrtiè	*nòster* (v. 40)
et — ⏑ — ⏒ | — —	*rèstitistei*	*sèedes* (v. 27)
	quèm-prŏfàta	*Mòrta est* (v. 43)
	sì-fŏrèt-fas	*flère* (v. 79)
	àdvocà-pit	*cònctos* (v. 100).

Ergo quantitatibus syllabarum hae formae hemistichii posterioris aequales sunt illi usitatissimae — ⏑ — \| ⏒ — —. nam

— ⏑ x̲ \| ⏒ — — = ⏒ — ⏑ x̲ \| — —
= — ⏑ — ⏒ \| — —.

Iam proximum est ut agamus

de colis pentasyllabis.

quorum mentionem feci p. 5 et hoc loco licet ea expedire paucis. numero enim sunt et aequabili et simili hexasyllabis illis qui in eadem versus Saturnii parte collocantur. sic enim scanduntur: aut *Sámniò* | *cépit* (v. 11) [1]) aut *vóto hòc* | *solúto* (v. 30).

Item v. 89. ***hánc àedem** | **et sígnu**,* v. 60. ***mágni àtque** | **Atlántes**,* v. 55. ***múl-tì** | **mortáles**,* 74 ***stá-bànt** | **in-flustris**,* 26. ***Máar-cò** | **Caicílio**,* 33. ***cré-brò** | **condémnes**,* 48. ***flé-xù** | **nodórum**,* 56. ***íl-lìc** | **exíbant**,* 52. ***ám-bòrum** | **uxóres**,* 63. ***Pró-sèr**|**pină pŭer**,* 134. ***frá-trèm** | **Neptúnum**,* 137. ***bél-lìque** | **inértes**.* 123. ***tóp-pèr** | **confringent**.*

Ac ne quis credat latinae linguae indolem alienam esse a tali scansione, Catullus exemplaria graeca imitatus cum querellas animi funderet carmine 30., quod carmen panxit non tam ut caneretur quam ut recitaretur, scripsit hoc modo: «***nec facta impia fál-lácum hominum caelicolis placent***» et «***certe tute iubé-bás animam tradere inique me***». ea exempla sunt ictuum catalexi continuorum et quasi collisorum. nempe hoc illud est quod animos quorundam hodie grammaticorum offendit scrupulumque iis inicit. nam catalexin interiorem ipsam esse in poesi Graecorum et Romanorum nemo, qui quidem rei metricae aliquam habeat notitiam,

[1]) Ut *Sámnió* | *cépit* scanduntur v. 5. *Álerià(m)que* | *úrbe(m)*, 14. *ómnià* | *brévia*, 18. *Scípiò* | *récipit*, 32. ***máxsumè** | **méreto**,* 36 b. ***néc libèns** | **áeque**.* item v. 39; 49; 51; 61; 70; 72; 96; 116; **124; 129; 143; 155.**

negabit [1]). — Sed haec hactenus. ergo ictus in eodem verbo continuari non est alienum ab natura linguae latinae. itaque nihil obstat quominus cum Ritschelio ultimum epigrammatis Sorani hemistichium recitemus hoc modo: *cré-brò* | *condémnes.* quod fieri posse iniuria negat Korsch de v. Saturn. 47 sq. et post eum multi. ac supervacaneum erit opinor rem illustrare exemplis ex carminibus vetustis Germanorum petitis, etsi hoc suo iure fecerunt Bartsch aliique. denique quoniam primordia numeri Saturnii videntur esse ab summa antiquitate repetenda, non dubium est quin, sicut alia metra, item versus Saturnii initio saepius cantati sint quam sine ullo cantu recitati. cf. ea quae adnotavi ad p. 26.

Sed redeamus ad hemistichia pentasyllaba.

Numquam collocantur hemistichia pentasyllaba in parte Saturnii priore. monocolos versus est 89 *hanc aedem et signu.*

Nata igitur videntur esse ex usitata forma hemistichii posterioris contractione vel sublata syllaba aut secunda a principio aut tertia a fine.

Sublata secunda a principio:

— ⏑ — | ⏒ — —	*voto ĕo*	*soluto*
— — | ⏒ — —	*voto hoc*	*soluto.*

Sublata tertia a fine:

— ⏑ — | ⏒ — —	*plurimos*	*ĕidem*
— ⏑ — | — —	*plurimos*	*idem.*

Hae et hexasyllabae et pentasyllabae sunt posterioris hemistichii formae usitatae. in quibus omnibus apparet atque exstat aeque atque in priore hemistichio ratio quantitatum. nam posterior pars est constanter (⏒) — ⏓, non (⏒) ⏑́ ⏓. quodsi nulla haberetur in versu Saturnio ratio quantitatum, posterior pars item esset (⏒) ⏑́ —, quod non raro fit in rhythmis illis latinis qui medio aevo ad accentus solos facti sunt. ut *flóri ét díc íta* hymn. 83. 136 Milchs., cui nihil simile in reliquiis Saturniis invenias, tamen, si Saturnii ad accentus potissimum essent compositi, verum ac legitimum esset saturnium hemistichium et simile illi *voto hoc soluto.* quod secus est. nam ad hoc posterius comma posterioris hemistichii illud pertinet quod p. 9 sq. diximus de eodem commate prioris. quid? *Lége iam líbros* nonne item Saturnium est hemistichium ad normam Thurneyseni et Lindsayi? atqui frustra quaeras inter reliquias numeri Saturnii colon quod referatur ad formulas tales: ⏑́ ⏑ ⏓ (⏒) ⏑́ — aut ⏑́ ⏑ ⏑ (⏒) —́ — aut —́ ⏑ ⏓ (⏒) ⏑́ ⏑.

Sed verae formulae huius generis sunt:

— ⏑ x̲ (⏒) — — aut — — ⏒ — — aut ⏒ — ⏑ x̲ — —.

[1]) Inter eos autem qui catalexin interiorem vindicant Saturniis prave inepteque egit R. Klotz quod suppressas theses Saturniorum redigere temptat ad Aeschyli normam. atque ipsam Aeschyli rationem circumscribit angustius quam pro veritate.

Ad severam enim normam exigitur metrum posterioris hemistichii, sive trochaicum est: – ⏑ x̲ | ⏒ – –, sive iambicum: ⏒ – ⏑ x̲ | – – . nam quod frequens est in vetustis versibus italicis, id non conceditur posteriori parti versus Saturnii ut spondeus admittatur aut in primam sedem dipodiae trochaicae aut in secundam iambicae. sed hoc observabatur ut vel primus trochaeus vel secundus iambus esset purus. ad hanc igitur communem formulam compositio posterioris hemistichii referebatur:

(⏒) – ⏑ x̲ | (⏒) – –.

Quippe post suspensum rhythmum prioris hemistichii aures flagitabant numerum expressum diligenter.

Quodsi ad accentus potissimum Saturnii facti essent, posteriori hemistichio esset etiam talis forma: – – – | ⏒ – –, ut *Jhesum cor laetetur* (hymn. 83. 502 Mɪ), vel ⏑́ ⏑ ⏑ | ⏒ – –, ut *vítia fugantem* (hymn. 83. 80 Mɪ), vel ⏑́ –, – | ⏒ – –, ut *plăcet commutare* (hymn. 83. 146 Mɪ).

Denique hic non modo lex illa valet quam universae poesis latinae communem esse demonstravi (libro de versificationis lege, Lundae 1890), dico eam legem ut ictus — praeter caesuram et exitum versus — sit in longa aut binis brevibus, sed etiam severior quaedam lex ipsa intervalla ictuum temperat.

Extremum est in hoc capite ut breviter disputemus de

colis quadrisyllabis.

Sunt enim — sed perpauci — versus Saturnii qui posterius membrum habeant specie pentasyllabum, sed genere ipso quadrisyllabum, quia soluta est longitudo in binas breves. tales versus sunt:

v. 6. *dèdet Tèmpestàtebùs* : *úide mĕrĕto* [1])
2. *dùonòrō(m) òptumò* : *fùisĕ-vĭro.*

cui versui simillimus ille de elogio Calatini ap. Cic. de fin. 2. 116 *pòpuli prìmàriùm* | *fúissĕ-vĭrum* (v. 158; cf. vv. 138 et 139). paenultima igitur in sede omnes hi versus arsin solvunt. nam *fùisè-viro* cum quasi in unius verbi corpus pronuntiatione coalescat, acuitur *se* syllaba. quemadmodum enim in epigrammate Naevii (v. 79) pronuntiandum videtur *sì-forèt-fas* quasi unum sit verbum, quod sub uno efferatur accentu principali in *-et* syllaba posito, cui accedit in *si* syllaba accentus minor vel secundarius: item *fùisè-viro,* ut maior accentus sit in *-se* syllaba, minor in *fu.* cf. ii loci qui afferentur infra et Plautus Bacch. 83 *Úbi tu lepide vóles* essé

[1]) Woelfflin in Revue de Philol. 14. 115 cum A. Spengelio sic scandit: . . . . *merēto;* sed, quantum scio, tale participium verbi *merendi* nusquam invenitur. at iure Woelfflinus spernit coniecturam Ritschelii: *a. mereto⟨d votam⟩.* qua coniectura quod inculcatur versui id dicitur nec usitate et otiose.

tibi — —, Skutsch, Forsch. I 136 [1]); Plaut. Men. 654 *défessi-sumus*. Merc. 481 *óblitús-fui*, Aul. 405 *itidém-fuat,* aliique loci Plautini ap. Lindsayum in actis philol. Cantabrig. vol. 20. 144. paullo angustius Luc. Mueller de re metr. ² 466 enclisin illam formis verbi substantivi monosyllabis definit.

At in illa lammina coquorum vix crediderim posse sic scandi: v. 93 a *ŏ́pĭ-părum ăd veítam* cum et continuis duabus solutionibus, ut Epid. 205 R ĕ́ c ĭ p ĭ *am* a n *hélitum,* et correptione iambica, quod durissimum est. ac potius fortasse is qui scripsit voluit sic scandi cum hiatu in caesura: *ópiparùm* | *ad veitam.* de hoc genere hiatus v. p. 25.

CAPUT V.

Summa disputationis.

1.

Brevis descriptio hemistichiorum Saturniorum.

A. Hemistichia priora.

⏒ ∸ ⏒ ∸ | (⏒) ∸ —	*Quod rė-sua*	*difeidens*
	mea-pùera quid	*verbi*
— ∸ ∸ | ⏒ ∸ —	*sesèque i*	*perire*
∸ — ∸ | ⏒ ∸ —	*ĭnĕrant signa*	*expressa*
⏒ ∸ ⏒ ∸ | ∸ ⏑ ∸	*donò-danunt*	*Hèrcŏlei*
∸ — ∸ | ∸ ⏑ ∸	*Magna(m) săpĭ-*	*-entia(m)*
∸ ⏒ ∸ ⏒ | ∸ ⏑ ∸	*imperator*	*dedicat*
∸ ∸ — | ∸ ⏑ ∸	*Honc oino(m)*	*ploirume*
∸ ⏒ ∸ ⏒ | (⏒) ∸ —	*consol censor*	*aidilis*
	òbliti-sunt	*Romae*
∸ ∸ — | ⏒ ∸ —	*partim errant*	*nequenunt*

B. Hemistichia posteriora.

∸ ⏑ ∸ | (⏒) ∸ —	*Scipio*	*Barbatus*
	Samnio	*cepit*
∸ ∸ | ⏒ ∸ —	*voto hoc*	*soluto*
⏒ ∸ ⏑ ∸ | ∸ —	*tibe utier*	*vita*
∸ ⏑ ∸ ⏒ | ∸ —	*sì-forèt-fas*	*flere*
[∸ ⏒ ∸ ⏒	*aide(m) mĕrĕto*] [1]	

[1]) De raris illis formis ⏑ — — \| ⏒ — — — *Salus hic* \| *maneto* et — — ⏑ \| ⏒ — — *multasque virtutes* et — — ⏑ \| — ⏑ — *prognatŭs* \| *Pythius*, quibus variatur forma usitata — ⏑ — \| ⏒ — —, de iis dixi p. 24 et 22.

2.

Numerus Saturnius aptus est et ex quantitatibus et ex accentibus.

I. Quod attinet ad quantitates, mensura ac moderatione syllabarum conficiuntur non pedes — nulli enim sunt in versu Saturnio pedes — sed certa et distincta spatia et coli et commatum. nam incidi cola dividique in binas partes vel commata videbamus. quodsi quid contractione vel catalexi deminutum est numero syllabarum, tamen spatio manet integrum. quadrisyllaba enim commata sunt quasi acatalecta, trisyllaba quasi catalectica aut procatalecta, disyllaba dicatalecta. ergo hemistichia priora, sive heptasyllaba sunt sive hexasyllaba, spatio sunt aequalia; item posteriora hemistichia pentasyllaba hexasyllabis sunt aequalia. itaque *nōn hŏnōs* | *honore* et *Sălūs hīc* | *maneto* differunt syllabarum ordine, spatio sunt aequalia; *non honos* | *honore* et *voto hoc* | *soluto* differunt syllabarum numero, spatio congruunt.

II. Accentus et ictus vix ulla est discrepantia. nam ut prius hemistichium, si recitatur, ad unam aliquam scandendi formulam redigi non possit, non tam efficit discrepantia accentus quam aliae causae. de qua re disputavimus multa. sed quatenus est certa scansio Saturnii, ut est fere posterioris hemistichii, ea sequi solet accentus. nihil enim discordant inter se accentus et ictus his locis: v. 5. *Ắlĕrĭá(m)que*, 53. *cápitibùs:* v. Bentleius ad Ter. Eun. 2. 2. 36 all. q. locc., God. Hermannus El. D. Metr. p. 64, Langenus de gr. lat. praecept. pp. 17 sqq., Lindsay Lat. Lang. p. 158; — v. 39 *éx-tuòd*. 67 *ád-suòs*, 75 *sub-suum;* v. 4 *híc-fŭèt*, 10 *queí-fŭìt*, 79 *sì-forét-fas*, 2 *fùisé-viro* (de quo p. 29 sq.). cf. de «accentu sententiae» Lindsay Lat. Lang. pp. 165—170 et Idem Class. Review 5. 373—377 et 402—408 et Cambr. Journ. of Phil. 20. 135—158. item nonnulla quae ad hanc rem pertinent Skutsch Forsch. I pp. 108, 153—163 all. q. locc.; Seelmann, die Aussprache des Latein pp. 37—42, Luc. Mueller de re metr. [2] pp. 465—467. Leo, Plaut. Forschungen p. 236 et 298. similia Graeci: v. Schulze Quaest. ep. 478—484 (agitur hoc loco non de altitudine vocis ipsa sed de vi); item cf. Hirt d. indog. Akzent p. 43. — etiam illa communi accentu videntur in unum comprehendi: v. 97 *béne-iovent*, ut *bene-rém-gerit* (de quo Lindsay Lat. Lang. p. 170) et *bene-ámbula, dì-bene-vórtant* (de quibus locutionibus Kellerhoff in Stud. Stud. 2. 78 et 82); v. 36 b *néc-libens* (i. e. invitus), cf. *néc-legens, neglegens*. item Naevius v. 151 *néc-satis*, ubi *nec satis* est pro *non satis* (*néc sátis* Leo Plaut. Fo. 268). cf. Plaut. Mil. 594 *néc magis* principium septenarii. eodem fortasse modo in unum comprehenditur in Ligariana Ciceronis § 1 *nòn-audítum*. Quintilianus Inst. XI. 108: «sunt quaedam latentes sermonis percussiones et quasi aliqui pedes, ut sit unus motus (in Ligariana oratione Ciceronis § 1) *novum-crimen*, alter *C.-Caesar*, tertius *et-ante-hanc-diem*, quartus *non-auditum*, deinde *propinquus-meus*, et *ad-te*, et *Q.-Tubero*, et *detulit*». — illa autem duriuscula quae comprehenduntur asyndeto enumerativo: in carmine Arvalium *àdvocá-pit* et *sătŭr-fŭ-fĕrĕ* (de quibus v. adn. crit. ad h. l.) denique in unum videtur

comprehendi ap. Naevium v. 63 *Prosèrpină-pŭer* ut Plaut. Bacch. 83 *essĕ tĭbi* in exitu coli; sed vereor ne rationem huius rei angustioribus definiam terminis; cf. Klotz, altröm. Metrik p. 230 et 229. cum *Prosèrpiná-puer* conferri possunt illa ap. Quintilianum l. q. d. *Gàï-Cáesar* et *Quìnte-Túbero* [1]).

Discrepant tamen accentus et ictus v. 22 *nôn honòs honore.* quodsi verum est quod lego ap. Naev. v. 136 *quianám genùs* | *sísti* etiam hoc loco vera est discrepantia accentus et ictus. tamen *quianám* nihil offendit, cum sit quasi primus pes. nam primi pedis discrepantia permissa est vel iis carminibus quae accentu panguntur. cuius rei ipsa carmina hodierna multa praebent exempla. quod iam Bentleius animadvertit in Schediasmate de metr. Ter. p. 11 (ed. Amstelod. 1727): «Quamquam in nostris est et varietati locus, ut in his:

— — — — — — — — — — — —

Stróng without rage, without oreflowing full.

Ictus, — — qui in secunda syllaba fieri solet, in prima fit, et venuste quidem, modo raro fiat, ac Brevis sequatur». cf. libellus meus «De lege versificationis» p. 15 sq. [2])

---

[1]) Cf. in nostro Svionum sermone: *hèrr-Lind, kàptĕn-Málm* et Fr. Wulff, «von der Rolle des Akzentes in der Versbildung», Skandin. Archiv. I 71.

[2]) V. 64. *fortissimos viros* est rhythmo liberiore. quod genus vidimus esse quasi extra certam scansionis normam collocatum. quodsi scansionem temptes, haec erit: *sin illos déseránt fortissimós-virós.*

CAPUT VI.

Certiora Saturnii numeri exempla.

1—4. *Elogia Scipionum.*

1. Honc oino ploirume coséntiont R*ómai*
duonorō optumo fŭisĕ·vĭro
Luciom Sci- pione fílios Barbáti
*co*nsol censor aidilis hic fŭet a*púd vos.*
hec cepit Corsica Áleriáque úrbe,
dedet Tempe- statĕbus áide méreto.

2. Cornelius Lucĭus Scípio Barbatus
Gnaivod patrē prognatus fortis vir sapiensque
quoius forma virtutei parísuma fūit
consol censor aidilis quéi fŭit apúd vos
Taurasia Cisauna Samnio cepit
subigit omne Loucanam opsidesque abdoucsit

3. Quei apice insigne dial*is* *fl*aminis gesistei
Mors perfe*cit* tua ut essent omnia brevia:
honos fama virtusque gloria atque ingenium.
quibus sei in longa licu*i*set tibe útier vita
facile facteis*s* superases gloriam maiorum.
quare lubens te in grémiu Scipio recip*it*
Terra Publi prognatum Publio Corneli.

4. Magna sapi- -entia multasque virtutes
ae-tatē quom parva posidet hoc saxsum.
quoiei vita defecit non honos honore
is hic situs; quei nunquam victus est virtutei
annos gnatus XX;
is *Diteist* m*an*datus
ne quairatis honore
quei minus sit mand*atus*.

5. *Elogium M. Caecilii.*

Hoc est factum	monumentum	Maarco	Caicilio.	26
hospes gratum est	quom apúd meas	restitistei	seedes,	
bene rem geras	et valeas.	«Dormias	sine qura».	

6. *Titulus Vertuleiorum.*

Quod re sua	d*i*feidens	asper(a)	afleicta	
parens timens	heic vovit.	voto hoc	soluto	30
*de*cuma facta	poloucta,	leibereis	lubetes	
donu-danunt	Hercŏlei	maxsume	merĕto.	
semol te orant	se *v*oti	crebro	condemnes.	

7. *A grammaticis afferuntur ex tit. triumphalibus hi versus:*

duello magno	dirimendo	regibus	subigundis	
fundit fugat	prosternit	maximas	legiones	35

8. *Ex sententiis Ap. Claudii.*

Amicum cum	vides ob-	liviscere	miserias;	36 a
inimicus sies	commentus	nec libens	aeque.	36 b
Oportet pol	qui animi	compotem	*te* esse	
nequid fraudis	stuprique	ferócià	pariat	37

9. *Ex Andronici Odyssea.*

Virum mihi	Camena	insece	versutum	
mea puera quid	verbi	ex tuo*d*	ore	39
supra fugit?	. . . .	. . . .	. . . .	
neque tamen te ob-	litŭs sum	Laertie	noster	40
argenteo	polubro	aureo*d*	eclutro	
tuque mihi	narrato	omnia	disertim	
quandō dies	adveniet	quem prŏfata	Morta est	
igitur demum	Ulixi			44 a
cor frixit prae	pavore			44 b

45	ibi manens	sedeto	donicum	videbis
	[me carpento	•vehementi	*en* donum	venisse]
46	simul ac dacrimas	dĕore	noegeo	detersit
47	Mercurius.	cumque ĕō	filius	Latonas
47 b	partim errant	*nequēnunt	Graeciam	redire
48	nexebant multa	inter-se	flexu	nodorum
	dubio	. . . .	. . . .	. . . .
49	topper cĭtĭ	ad aedis	venimus	Circae
49 b	ūtrum gĕnŭa	amploctens	virginem	oraret

10. *Ex Naevii Bello Poenico.*

50	Novem Ioves	concordes	filiae	sorores
	postquam *hanc* ȧvĕm	aspexit	in*du* templo	Anchisa
	sacra in mensa	•penatum	ordinē	ponuntur
51	immolabat	auream	victimam	pulcram
			amborum	uxores
	noctu *Troiad	exibant	capitibus	opertis
	flentes ambae	abeuntes	lăcrimis	cum multis
55	eorum sectam	sequuntur	multi	mortales
	ubi foras	cŭm auro	illic	exibant
	ferunt pulcras	crateras	aureas	lepistas
	patrem suum	supremum	optumum	appéllat
	inerant signa	expressa	quo modo	Titani
60	bicorpores	Gigantes	magni atque	Atlántes
	Runcus atque	Porpureus	filii	Terras
62	blande et docte	percontat	Aenēas	quo pacto
62 b	Troiam urbem	liquerit		
63	prima incedit	Cĕrĕris	Pró-sèr-	-pinȧ-pŭer

sin illos	deserant	fortissi-	-mos-vĭros	64
magnum stuprum	populo	fĭeri	per gentis	65
seseque i	perire	mavolunt	ibidem	
quam cum stupro	redire	ad suos	popularis	
scopas atque	verbenas	sagmina	sumpserunt	68
virum praetor	*adveneit	auspicat	auspicium	69
prosperum . . .	. . . .	. . . .	. . . .	
censet eo	venturum	obviam	Poenum	70
superbiter	contemptim	conterit	legiones	71
		id quoque	paciscunt	
ut moenia	sient quae	Lutatius	*iubeat*	
reconciliant	captivos	plurimos,	idem	72
Sicilienses	paciscunt	obsides	ut reddant	
onerariae	onustae	stabant	in flustris	
plerique omnes	subiguntur	sub suum	iudicium	75
iamque eius mentem	fortuna	fecerat	quietem	
magni *metus	tumultus	pectora	possīdit	

11. *Metellorum versus in Naevium.*

Dabunt malum	Metelli	Naevio	poetae	78

12. *Epigramma Naevii.*

Immortales	mortales	sí-forèt-fas	flére	79
flerent divae	Camenae	Naevium	poetam.	80
itaque postquam est	*Orci	traditus	thesauro	81
obliti sunt	Romae			82 a
loquier lingua	latina.			82 b

Postremo affero tria carmina, quae quamquam horridiora sunt et aliquid ab norma severiore discedunt, tamen sine dubio in reliquiis veris certisque poesis Saturniae sunt habenda:

13. *Titulus Mummii.*

83 Duct(u) auspicio im- perioque
eius Achaia capta
85 Corinto deleto
Romam redieit triumphans.
Ob hasce res bene gestas,
quod in bello voverat,
hanc aedem et signu
90 Herculis Victoris
imperator dedicat

14. *Lammina coquorum Faliscorum.*

92 Gonlegium quod est aciptum aetatei agedae
ópiparum ad veitam quolundam festosque dies
quei soveis a*rg*utieis opidque Volgani
95 gondecorant sai*pi*sume comvivia loidosque:
ququei huc dederunt *i*npera- -toribus summeis
utei sesed lubent*es* *be*ne iovent optantes.

15. *Cantio rustica.*

Terra pestem teneto, Salus hic maneto.

16. *Carmen Fratrum Arvalium.*

99 Enos Lases iuvato! *ter*
nevelu(a)eruemarma(r)sinsincurrereinpleores *ter*
saturfuferemarslimensalistaberber *ter*
100 Semunis alternei advoca-pit conctos! *ter*
101 enos Mamor iuvato! *ter*
triumpe triumpe! *bis*
triumpe!

Qui fidem horum exemplorum volet aestimare, ei apparatum criticum instrumentumque ministrabunt editiones Haveti et Luciani Muelleri et mea (L. Havet de Saturnio Latinorum versu Parisiis 1880; Luc. Mueller, d. Saturnische Vers Lipsiis 1885; C. Zander, Versus Italici Antiqui Lundae 1890)[1]). quodsiquis notitiam hanc per rivos deductam spernit, ei monstro ipsos fontes; nam sunt hi:

[1]) Post editos Versus Italicos ad notitiam eorum cum accesserunt alia instrumenta tum missi liberalissime ab editoribus — oblata occasione magnas ob haec dona gratias ago viris illis clarissimis — et codex Farnesianus Festi XLII tabulis expressus ab Aemilio Thewrewk de Ponor et tituli Scipionum editi ab Eduardo Woelfflino. — denique hoc quinquennio mihi facta est copia plures inscriptionum Saturniarum in Italia inspiciendi.

Vv. 1—25. CIL VI 1287, 1285, 1288, 1289. — **Vv. 26—28.** CIL VI 13696. — **29—33.** CIL X 5708. — **34, 35.** Caesius Bassus p. 10 *K* = GL V 265. — **36.** Priscianus I 384. 5 *H.* sies *et* si es. — **37.** *Festus* 317 *M* = 460 *Th.* strupique — pareat *cod. Fa.* — **38.** Gellius 18. 9. 5. — **39.** Prisc. I 230. 27 *H* et Charisius 84. 5 *K.* — **40.** Prisc. I 301 *H.* — **41.** Nonius 544. 19. — **42.** Non. 508. 29. — **43.** Gellius 3. 16. 11. — **44.** Servius plenior ad Aen. 1. 92. — **45.** Charisius 197. 15. vehementi en: vehementem. — **46.** Festus 186 *Th* = 174 *M.* a dacrimas *cod. Fa., ut vid.:* ac lacrimas *Thewrewk.* — **47.** Prisc. I. 198. — **47 b.** Festus 162 *Th et M.* nequenunt: neque nunc *cod. Fa.* [neqe nunc *Thewr.*], nequinont *in lemmate.* — **48.** Diomedes 369. 19 *K.* — **49.** Festus 532 *Th.* — **49 b.** Diom. 384 *K.* — **50.** Caesius VI 265. 30 *K.* — novem Iovĕs (= Iovis *genitivo casu*): novei moves *cod. Neap.* — **51.** Probus ad Eclog. 6. 31. penatum *Buecheler:* penatium. — **52—54.** Servius plenior ad Aen. 3. 10. — v. 53 Troiad *Vossius*: Troiade. — **55.** Id. ad Aen. 2. 797. — **56.** Id. ibidem. — **57.** Caesius l. q. d. — **58.** Varro de l. l. 7. 51. — **59—61.** Prisc. I. 198. 15. — **62.** Non. 335. 1. — **63.** Prisc. 232. 4. — **64—67.** Festus 460 *Th* = 317 *M.* — **68.** Festi epit. 469 *Th* = 320 *M.* — **69.** Non. 468. 30. adveneit *Baehrens*: adveniet. — **70.** Non. 267. 17. — **71.** Non. 516. 1. — **72.** et **73.** Non. 474. 16. — **74.** Isidorus de n. r. 44 *Beck.* = Suetonius Reifferscheidii p. 243. — **75.** Donatus in Ter. Andr. I. 1. 28 (cf. Havetus l. c. p. 395). — **76.** Prisc. 242. 20. — **77.** Non. 214. 7. metus *Aldus Manutius ex lemmate*: intus *et* vitus. — **78.** Caesius 10. 23 = GLK VI 266. 5. — **79—82.** Gell. I. 24. 2. Orci: Orcho. — **83—91.** CIL VI 331. — **92—97.** CIL XI 3078. — **98.** Varro de l. l. VI 27. — **99—102.** CIL VI 2104.

V. 1. cosentiont R⟨omai⟩ *Ritschelius:* cosentiont R⟨omane⟩ alii vitiose; tale enim posterius hemistichium est syllaba longius.

V. 4. hic fuĕt incertum vera productione an metrica. longitudinem quidem tuentur Osthoff, Gesch. d. Perfects 205 sqq. et Brugmann, Grundriss II 1236 sqq., obloquentibus aliis.

V. 6. aide mereto. nihil addendum. falso Ritschelius aide mereto⟨d votam⟩. iure negat Woelfflinus in Revue de philologie XIV 115 quidquam addendum esse.

V. 8. patrē ultimam producit. cf. infra ad v. 21; et Vers. It. Ant. p. CVII [aliter Langen Plaut. Stud. 75 [1]); sed cf. Vers. It. Ant. p. LXXXVIII [1]].

V. 12. abdoucsit inscriptum est, ut vid. idem testatur Woelfflin l. c. p. 122. subigit — abdoucsit ea est varietate temporum qua Caesar b. g. 1. 46. 2 facit — recepit; 2. 13. 1 accepit — ducit. cf. Bonino Sintassi lat. p. 287 sq.

V. 24 b. is D*iteist* *man*datus lego cum Ritschelio, non propter metrum — immo Mommseni coniectura bonus exit Saturnius: annos gnatus XX | is l*o*ceis *man*datus — sed meliorem secutus sum sententiam; nam frigidum est illud quidem ›loceis‹. certe vestigia inscriptionis ducunt ad utramvis lectionem.

V. 21. aetatē ultimam producit. quoniam enim licet ultimam illam vel corripere vel producere, ut in eodem elogio virtutei (cf. Buecheleri de declin. ed. Wind. §§ 247—9), consentaneum est dicere hoc loco aetatē producta ultima; nam cetera eius generis cola in hac versus parte ultimam trisyllabi prioris producunt.

V. 40 dubito utrum legam: *neque-tamèn te ob|litūs sùm* an *nèque enim tèd ob|litūs sùm.* neque tamen *RB,* n. tam *r: neque enim ADHUGLK.* cf. Od. α 65.

V. 54. lacrimis. si Plautus positione debili non utitur, tamen tardior est epicae Musae incessus. itaque et Ennius in epico carmine dixit nīgrum et săcruficare prima longa et Naevius ea re potuit imitari poetas Graecos; quem rebus ipsis pendere ex auctoribus Graecis Maass ostendit. sed haec productio syllabae, opinor, erat concessa ipsa latini sermonis natura. item Andronicus v. 49 b ūtrum. cf. Lindsay Lat. Lang. p. 130; Reichardt l. c. 236; Luc. Mueller de re m. ² 380 sq.

V. 60. magni atque Atlantes: magni adque lantes *R,* magni * que Athlantes *L* : magnique A. *cett. libri,* quod ipsum quoque versum probum reddit.

V. 84. Achaia trisyllabum est hoc loco. aliter iudicat Luc. Mueller de re metr. ² p. 306.

Vv. 99—102. in carmine fr. Arvalium corrupta illa fortasse sic legi possunt:

neve lŭĕ(m)-rŭĕ(m) | Marmă sins || incurrere | in plĕŏres
sătŭr-fŭ-fĕrĕ Mars | lime || énsalì | sta verber.

Quorum verborum sententiam conicio esse hanc:

neve luem stragemque, Mars, siris incurrere in plures.
saturitatem fac fer, Mars; famis insultans siste flagellum. —

ruem: v. Loewe op. gloss. ed. Goetz p. 169. — fu = φύs. — lime = limei gen. sg. a recto *limos gr. λιμός osc. acc. sg. limo (vel limu) in lammina Capuana Zvet. I. I. I. 1. 229. 8; cf. bu-lima Festi epitome p. 32. — ensalĭ — quod h. l. productionem patitur metricam — = insile, quasi id quod insiliat; ensali verber quasi insiliens (vel insultans) flagellum. vid. Vers. Ital. Antiq. p. 26 sqq.

sătŭr-fŭ-fĕrĕ in unum ita coniunguntur ut v. 100 advoca-pit i. e. advoca, pete. nam v. 100 haec, credo, est sententia: Semones (ministros tuos) vicissim (i. e. in suam quemque partem officii) advoca, pete (i. e. arcesse) cunctos. cf. edi-bibi in unum coniuncta v. 125.

CAPUT VII.

Incertiores reliquiae [1]).

15. *Ex carminibus Saliorum versus Ianuli* [2]).

Cózevi ådŏrĭĕse   ómniàǃ   103
véro ad pátula   coĕmĭs ès   iáneùs   Iánes
dŭŏnŭs cērus   es, dŭŏnus   iánŭs ⏑́   (⏑) ⊥ —   105
. . . .

16. *Ex precatione antiqua.*

⟨ *Veneror* ⟩ Luam   Saturni   Sălăcĭàm   Neptúni   106
» Horam   Quirini   Vīritēs   Quirini
» Maiam   Volcani   Hēriem   Iunonis
» Moles   Martis   Nĕrĭĕnemque   Martis

9 b. *Ex Andronici Odyssea.*

pater noster   Saturni   fíliè   ⏑ ⊥ —   110

. . . .   quae haec dáps est?   111

---

[1]) Hac appendice continentur Saturnii numeri reliquiae vel breviores quam quibus integri Saturnii compleantur vel corruptiores quam quae sanari certa emendatione possint. earum vix ullam rationem habui in iis quae supra disputavi. — **Quae autem in his correxi (vel usus sum correctionibus aliorum), ea non ob metrum ipsum, sed vel sermonis vel sententiae causa correcta sunt.**

[2]) De carmine Saliari: v. Carm. Sal. reliquias ed. C. M. Z. Lundae 1888. Varro l. l. 7. 26. «in carmine Saliari sunt haec: Cozeulodori ese (*an* esc; cf. Grothius diss. Arg. IV. 116) omnia vero adpatula coemisse lancusianes duonus ceruses dunus ianusve vet pom melios eum recum» *(tum vacui quattuor versus toti)*. Sententia: *Consivi! intra tuo numine omnia! portarum ad patulos aditus comis es ianeus, Iane. bonus genius es, bonus ianus* (i. e. introitus, cf. Cic. n. d. 2. 67). De Iano Consivio Aug. civ. dei 7. 2. — adoriese imperativo modo = adorire i. e. invade, intra. — vero(m) gen. plur. = portarum, osc. veru(m), umbr. *veras acc. veruf, abl. veres. — cŏĕmis = cōmis. — ianeus = ianitor Festi epit. 73 *Th.* — Ianĕs = Ianis = Iane Tertull. Apol. c. 10. Georges Lex. d. Wortf. s. v. — cērus = genius Festi epit. 87 *Th.* Hi versus Ianuli nominabantur: v. Festi epit. p. 3 *Th.*

	qui festus dies?	. . . .	. . . .	. . . .
112	matrem ⟨*proci*⟩	procītum	plurimi	venērunt
113	. . . .	. . . .	ín-Pylùm	devéniens
	aut ĭbi ŏmmentans	. . . .	. . . .	. . . .
115	[tumque remos	iussit .	rēligare	struppis]
	⏓ — ibī-	-demque vir	súmmus àd-	-prímus [1])
	Pătrŏclus — ⏓	. . . .	. . . .	. . . .
	atque escas	habemus	méntiòn(em)	(⏓) –́ —
	sancta puer	Saturni	† filia	regina
	⏓ — ăpŭd nympham	Atlantis	filiam	Calўpsōnem
120	⏑ … iam in altum	expulsa	líntre –̀	(⏓) –́ —
	. . . .	. . . .	námque núllum	péius
	⟨*genus*⟩ macerat	humanum	quámde mărĕ	sáevum
123	* vires cui	sunt magnae	tóp-pèr	confríngent
123 b	inportun(ae) und(ae)	. . . .	. . . .	. . . .
124	nam divina	Monetas	† fíliàm	dŏcŭit
	. . . .	. . . .	. . . .	tópper
125	făcĭt hŏmĭnes	út *prĭùs*	fúerìnt	(⏓) –́ —
	— (⏓) — quŏnĭam	audivi	páuc⟨*um*⟩ ìs	gavísi
	vestis pulla	purpurea	ámplă –̀	(⏓) –́ —
	inque *is* manum	surēmit	hást(am) ⏑ `	(⏓) –́
	. . . .	. . . .	. . . .	carnis
129	vinumque quod	libabant	* ánculà-	-bátur
130	deque manibus	dextrabus	. . . .	. . . .

[1]) Certis argumentis potest demonstrari antiquos auctores non semper exempla ex Saturniis carminibus sumpta ita attulisse, ut principium quoque versus exscriberent.

10 b. *Ex Naevii Bello Poenico.*

. . . .	. . . .	⊥ ⏑ mùlti	ắlĭi	
e Troia	strenue	vírĭ ⏑ ⊥	(⏒) ⊥ –	131
⏒ – pulcramque	ex auro	vestemque	citrosam	
senex fretus	pietati	* déinde àd-	-locútus	
summi deum	regis	frátrèm	Neptúnum	
règnató-	-rem mărum	. . . .	. . . .	135
summe deum	regnator	quianám genùs	sísti	
silvicolāē	* homones	béllìque	inértes	
* ⟨*man*⟩usque susum	ad caelum	sústulít-suās		
* rèx Amúllus:	gràtulà-	-bátur dívis		139
. . . .	. . . .	. . . .	res dívas	
edicit	praedicit	cá-stūs	⏒ ⊥ –	140
deinde pollens	sagittis	ínclutùs	arquítĕnens	
sanctus * Iovē	* Deli	prògnátŭs	Pýthiùs	142
Apollo –	. . . .	. . . .	. . . .	
– (⏒) símŭl a-	trócià	proicerent	exta	143
mĭnĭstratores	. . . .	. . . .	. . . .	
. . . .	. . . .	⊥ ⏑ tràns-	-it Mĕlĭtam	
Románus èx-	-ércitus	ínsulam ìn-	-tegram úrit	144
pŏpŭlatur,	* vastám-rem	hóstiùm	concínnat	145
vicissatim	volvi	victóriàm	⊥ –	
eam-carnem vìc-	-tóribus	danúnt ⏑ –	⊥ –	
septimum-dĕcĭmum	annum	ílicò	sedént⟨*es*⟩	
. . . .	capesset	flám-màm	Volcáni	149
. . . .	. . . .	. . . .	magnámque	
domum dĕcŏrem-	-que ditem	véxerànt	(⏒) ⊥	150

151	. . . .	quod bruti	néc satìs	sardáre
	queunt ⏑ —	. . . .	. . . .	. . . .
	. . . .	. . . .	⏊ ĕī	vēnit
152	in mentem hominum	fortunas	. . . .	. . . .
	fames acer	augescit	hóstibùs	(⏑) ⏊ —
	cum tu arquitenens	sagittis	pól-lèns	de(a) ⏊ —
155	. . . .	. . . .	átque priŭs	părĭet
	* lucústa lù-	-càm-bovem		

17. *Elogium A. Atilii Calatini.*

157	Úno(m) * còm-	plùrimae	consèntiùnt	gèntes
	pŏpŭli prì-	márium	fùissĕ-vĭrum	

V. 106—109. Gell. 13. 23 (22). 1. Vers. It. Ant. p. 39 sqq. — **110.** Prisc. I. 305. 7 *H.* — **111.** Prisc. I. 321. 6 *H.* — **112.** Festi epit. 282. 3 *Th* = 225 *M.* ⟨proci⟩ *addidi*: cf. Fest. 324 *Th* = 249 *M* et Od. α 245. — **113.** ĭbi ŏmmentans: cf. Klotz Metr. p. 73 sqq. — [**115.** Is. Or. 19. 4. 9. incertum utrum de Odyssia sit necne.] — **116.** Gell. 6 (7). 7. 11. — **117.** Prisc. I. 198. 8 *H.* — **118.** Prisc. I. 232. 5 *H.* — **119.** Prisc. I. 210. 6. — **120.** Prisc. I. 151. 18 *H.* — **121—123.** Festus 532 *Th* = 352 *M.* ⟨genus⟩ m. h. (m. b. ⟨genus⟩ *Reichardt*). — vires *A. Augustinus*: vis et *Lindsay*: viret. V. It. Ant. p. 89 in tris integros Saturnios hunc locum divisi ut plenis Saturniis hexametri duo ϑ 138 et 139 comprehenderentur. quod non necesse est. nam — cuius rei ipse exempla in illo libro protuli — liberior fuit ac remissior interpres Livius. cf. Leo Plautin. Forsch. p. 80 sqq. — **124.** Prisc. I. 198. 11 *H.* divina *GLK:* diva *RBAHDU.* — **125.** ut prius *Scaliger, Duentzer:* utrius. — **126.** Prisc. I 482. 10 *H.* — **127.** Non. 368. 26. — **128.** Festi epit. 424 *Th* = 298 *M.* inque *is* manum: . . . . s manum *cod. Festi,* inque manum *codd. Pauli.* — **129.** Prisc. I 208. 18 *H.* anculabatur: anclabatur. — **130.** Non. 493. 16. — **131.** Servius plenior ad Verg. Aen. 2. 797. — **132.** Isidorus Orig. 19. 22. 20. — **133—135.** Prisc. I 351. 25 *H.* deinde (= dein͡): deum. — **136.** Festus 340. 25 *Th* = 257 *M.* genus sisti (i. e. sivisti): genus isti. — **137.** Macrob. Sat. 7. 5. 9. homones: homines. — **138** et **139.** Non. 116. 31. ⟨man⟩usque *Merula:* isque. — rex *Stephanus:* res. — Vv. 138 et 139 talibus sunt posterioribus hemistichiis s ú s t u l í t - s u a s et - b á t u r d í v i s, qualia sunt illa vv. 2 et 156 f ŭ i s s ĕ - v ĭ r o et v. 6 á i d e m ĕ r ŏ t o. — v. 139 g r á t u l à - b á t u r d í v i s dihaeresi caret, ut v. 96 í m p e r à - t ó r i b ù s s ú m m e i s. — **140.** Non. 197. 14. c a s t ū s est substantivum acc. plur. — **141** et **142.** Macrob. Sat. 6. 5. 6. sanctus Iovē Deli (Iovē *Buecheler*): sanctusque Delphis. — **143.** Non. 76. 3. — **144** et **145.** Non. 90. 23. vastam *Palmer*: vastat. nec *rem concinnat* sine adiectivo sententiam huic loco aptam efficit neque elisio illa *rem hostium,* in principio praesertim coli, ferri potest. v. Luc. Mueller r. metr. [2] 339. — **146.** Non. 183. 16. — **147.** Non. 97. 13. — **148.** Non. 325. 6. sedentes *L. Mueller:* sedent. — **149.** Festus 532 *Th.* — **150.** Prisc. I 235. 20. — **151.** Festi epit. 473 *Th* et Festus 472 *Th.* — **152.** Prisc. I 198. 15 *H.* — **153.** Prisc. I 152. 17. — **154.** Macrob. Sat. 6. 5. 8. Dea⟨*na*⟩ *Fleckeisen pro* dea. — **155** et **156.** Varro de l. l. 7. 39. lucusta: lucustam. — **157** et **158.** Cic. de fin. 2. 116 et Cat. mai. 61. Uno(m) [vel Unum] complurimae *Havet:* uno cum plurimae, unicum plurimae.

Ultra medelam corruptum est illud Andronici ap. Fest. 532 *Th.* simul duona eorum portant ad navis. millia alia in isdem inferinuntur. quem locum pro integro habens Lindsay (Amer. Journ. of Phil. XIV 155 et 320) utinam interpretatus esset aut demonstrasset cur spreta auctoritate Festi tribueret Naevio et non Odyssiae Livii. cf. Vers. Ital. Ant. p. 91 sq.; Leo Plautin. Forsch. 82 [1]). — item spem abieci de Naevii illo loco ap. Varron. l. l. 7. 23 conferreque aut ratem aeratam qui perit : quidum mare sudantes eunt atque sedantes. cf. Vers. Ital. Ant. p. 106. iam mitto reliquias magis mutilas quam ut aliquid rhythmi in iis possit agnosci. nam de hexametris et senariis quae circumferuntur tamquam sumpti de Odyssia Andronici aut de B. Poenico Naevii nihil attinet hoc loco dicere. Vide de iis Vers. It. Ant.

Denique de omnibus quaecunque hoc loco commemorare operae pretium non esse arbitror lectorem delego ad Versus Ital. Ant.

Quod autem est in Festi epitoma 369 *Th:* ‹Naevius: Simul alius aliunde rumitant inter sese› (*sic codd.*), hoc temere ab recentioribus quibusdam bello Poenico adscribitur. fortasse est locus ille de fabulis. quodsi de Saturniis est, ita corrupta sunt verba ut numerus ille restitui non possit nisi verba mutaveris, velut sic: simitu alius aliunde rumitant interse.

Multa in Versibus Italicis Antiquis Lundae 1890 collecta sunt rusticae Musae et rhythmis inconditis carmina. ea — si a quibusdam non recte relatis in id genus discesseris — exempla sunt versuum italicorum antiquorum et erunt, sed non omnia numeri Saturnii. quamquam videor illo libro demonstrasse cognatos esse numeros illos Saturnio.

Ad p. 7, 14 sq. Nuperrime Lindsay in *Transact. of the phil. Society* a. 1894. III 405 sqq. de numero Saturnio in eandem atque antea sententiam disputavit. quod p. 409 protulit huius aetatis verba *Fiòrentíno, scèlleráto, sèppelíre,* id pertinet ad syllabas non continuas. non igitur eo efficitur syllabas continuas atque indivisas a Romanis solitas esse ita pronuntiari ut *prìmárium* dicerent. *prìmóres* non dicerent. (De syllabis non continuis cf. ea quae disputavi p. 7.)


3 2044 081 368 581